ACTA DIŒCESANÆ SYNODI

HABITÆ

IN METROPOLITANA ECCLESIA FIRMANA

DIEBUS XV., XVI., XVII. SEPTEMBRIS

ANNI MDCCXCIII.

ANDREA EX COMITIBUS MINUTIIS

ARCHIEPISCOPO, ET PRINCIPE.

FIRMI AN. MDCCXCIV.

Ex Officina Archiepiscopali Bartoliniana.

BEATISSIMO PATRI

PIO SEXTO

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

ANDREAS MINUTIUS

ARCHIEPISCOPUS FIRMANUS

FELICITATEM.

UM Tibi, BEATISSIME PATER, ea Decreta, quae in Dioecesana Synodo, quam nuper celebravi, statuenda duxi, Typis consignata humillimè offero, id

mihi in animo est, ut quae mea sit erga Sanctam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum Matrem, et Magistram, devotio atque obedientia in primis ostendam, simulque ut non alio nomine honestentur quam ejus, cujus judicio, et censurae subjecta sunt; ac denique, ut aliquod extet publicum testimonium grati animi mei erga Te, a quo tantis cumulatus sum, et maximis Beneficiis. Tu enim me, quem pluribus abhinc annis in Tuam Clientelam benignè receperas, ad culmen Supremi Apostolatus evectus, ubi primum in conspectum Tuum prodii, mira comitate complexus es; tum inde ne opinantem quidem è Feltrensi Cathedra avulsum, Ariminensium Episcopum designasti, biennioque vix elapso, Metropolitanae huic Ecclesiae praefecisti.

Hae sunt, BEATISSIME PATER, Tibi nuncupandae meae Synodi Caussae; non verò (quod ple-

plerique solent) ut occasionem arripiam laudes adornandi Tuas, quae mihi ardua nimis Provincia foret, quamque, ingenio impar, excurrere non audeo. Non omninò tamen silère possum. Ego enim Te, ab ipsa juventute Tua, eximias animi dotes praeferentem suspexi, jam praesentiens, quam copiosa Messis ad commune bonum ex hac semente foret proditura. Nec spes fefellit, imò spem superavit eventus. Satis quippè loquuntur ea multa, et tam magna, quae per Te gesta sunt, potissimum verò in hac, qua versamur, temporum difficultate, et rerum perturbatione, ut Catholicum orbem totum, et admirantem videamus, et audiamus praeconem.

Cum itaque talis, tantusque sis, gloriosum mihi admodum est, ut hoc qualecunque Pastoralis sollicitudinis meae specimen, Tuo nomine inscriptum appareat; nec aliud mihi restat, quam à Deo

eni-

enixis precibus petere, ut Tu, BEATISSIME PATER, sospes, incolumisque diu vivas, Te verò etiam, atque etiam obtestari, ut pristinam Tuam erga me voluntatem conserves.

IN

INDICTIO SYNODI

Ridentinorum Patrum decretis potissimum inhęrentes. Diœcesanam Synodum, solemnem nempe Ecclesiasticorum Conventum ad tractanda, expedienda, & decernenda, quę ad nostrę Diœcesis utilitatem, & decus conferre videntur, cogere tandem aliquando deliberavimus. Hisce itaquè literis Synodum ipsam, Venerabiles Fratres, Filiique amantissimi, indicimus, & intimamus ad DIEM DECIMAM QUINTAM MENSIS SEPTEMBRIS, *quo Dedicatio Ecclesię nostrę Metropolitanę hoc anno celebratur: Egregius sanè dies, qui dum materialem Templi constructionem, quam a fundamentis eleganter, & magno cum impendio nuperrimè absolvimus, opportunè commemorat, formalis quoquè, quę in fidelium congregatione est posita, ędificandę, sive restaurandę prębet occasionem.*

Metropolitanos itaque in primis, tum cujuslibet Collegiatæ Canonicos, dein Parochos, cœterosque hujus Civitatis, & Archidiœcesis in S. Ordinibus constitutos, & Sacerdotia, vulgò Beneficia Ecclesiastica obtinentes, & reliquos demum tam Sæculares, quam Regulares Clericos, qui vel jure vel consuetudine adesse tenentur, monemus, requirimus, ac

jubemus, ut statuta die, & in Ecclesia ipsa Metropolitana, imo in nostro Archiepiscopio summo mane adsint omninò, singuli veste talari, Superpelliceo, & Bireto, Canonici verò, cœterique suis, quibus jus est, induti insignibus, Parochi demum, & Vicarii Foranei Stolam rubri coloris gestantes. Si qui absfuerint, pœnas a S. Canonibus statutas, aliasque arbitrio Nostro infligendas ab iis repetemus. Non intelligimus tamen, ut Clerici cujuscumque Oppidi, vel Pagi ad Synodum ipsam ità universi conveniant, ut Collegiatæ Ecclesiæ divinis careant officiis, vel desint qui animarum curationi dent operam. Onus ergò injungimus Vicariis nostris Foraneis, ut, auditis, & adsentientibus iis, quorum interest, unaquæque Collegiata quatuor Canonicos, binosque retineat Præbendatos, & singulis Parochiis unus, & alter præsit Sacerdos, qui ad confessiones excipiendas a Nobis sit adprobatus. Hos exemptos declaramus, & unà simul qui sunt a Monialium Confessionibus, quique vel adversæ valetudinis, aut senectutis incommodo præpediuntur, dummodo Procuratorum opera perspectissimum hac super re afferant testimonium.

Qui postquam ad Synodum venerint, non discedant, nisi opere absoluto; & nemo ulli desit Synodali actioni. In itinere, in mora, & in regressu, quę virum Ecclesiasticum decent, religiose peragant. Iis qui quò divertant, non habeant, bini aderunt Hospitiorum Pręfecti, qui honestas Domos petentibus adsignabunt. Quid autem in orando, procedendo, sedendo, aut aliquid in processionibus de more agendo

do

do ritè, ac decorè servare debeant, ad Tabularium nostrum accedentes per diem antè premonebuntur. Antequam Parochi ad Synodum accedant, si qui sunt egroti, eos visant, Sacramentis, si opus sit, muniant, ac Sacerdotibus eorum loco subrogandis enixè commendent. Regulares porrò hortamur, ac precamur, ut, durante Synodo, si necessitas postulet, sint adjumento, ac eo ordine Sacrificia, præsertim ipso die Dominico in suis agant Ecclesiis, ut Populi commodo consulatur. Iidem ulterius Parochi numerum animarum, que eorum cure sunt commisse, in foliis designent, adferantque; Vicarii Foranei, qui, & quanti sint in unoquoque eorum Oppido, & Pago viri Ecclesiastici, qui Synodalibus actionibus interesse tenentur, ut elenchum conficiant, atque exhibeant. Eorum quos designaverint in Oppidis ipsis, et Pagis retinendos, ut nimirum divinas laudes in Collegiatis persolvant, vel ut Parochialia munera obeant, elenchum pariter, sed ante Synodum mittant, a nobis adprobandum. Si demum quid habeant iidem Vicarii Foranei, quod in unoquoque loco vel reformatione indigeat, vel emendatione, Parochis auditis, nobis significare non negligant; Tempestivè enim hanc ob caussam hasce nostras literas expedire curavimus.

Haud verò arbitramini, Venerabiles Fratres, Filiique dilectissimi, nos in agenda Synodo leges inusitatas, aut asperas esse laturos. Nil enim aliud Nobis proposuimus, quam ut ex iis, que a Predecessoribus nostris clarissimis, presertim Carolo, *&* Jannotto Gualtieri, *ac* Alexandro Borgia, *queque ab amplissimo Decessore nostro Cardinali* Urbano Pa-

** rac-

racciano *in ejus Synodo, numeris omnibus absoluta, postremò decreta fuerunt*, aliqua *pressius repetamus*, pauca *verò addamus, quę prȩsenti rerum statui, ac temporum conditioni congruere judicavimus. Alacri igitur animo huc adeste, Venerabiles Fratres, Filiique amantissimi, non ut molestum jugum reportetis, sed ut si quid est, quod a priscis legibus aberret, vel Ecclesiasticȩ dignitati repugnet, prorsus abjiciatis. Eò enim novimus prȩ cȩteris statutos a Tridentinis Patribus Synodales hujusmodi Conventus, ut mores reformentur, tollantur abusus, et Ecclesiasticȩ Hierarchiȩ dignitas confirmetur, vel restituatur.*

Quod cum ita sit, jam videtis, de quàm sancta, ac gravi re agendum sit. Sed quo gravius est tractandum negotium, eo majori indigemus auxilio, quod a D. O. M. poscimus, qui ipse est, qui ad agendum, quę recta sunt, illuminat omnem hominem. Sed vestrae quoque preces nostris adjungantur oportet, ut unita oratio cœlos efficacius penetret, et Sacra actio, quam erimus absoluturi, optatos fructus producat. Interim vero mandamus, ut qualibet Feria V. per Mensem ante Synodum Missam de Spiritu Sancto *Parochi celebrent, ac dicto Mense durante, et quousque Synodus absolvatur, in singulis Missis Collecta de eodem* Spiritu Sancto *addatur. Dominicis insuper diebus, quae intra ejusdem Mensis terminum erunt, post Summum Sacrum tam in Metropolitana, quam in Collegiatis, et Parochialibus Ecclesiis Litaniae omnium Sanctorum canantur. Demum Dominico die, qui indictum Synodalem Conventum prae-*

ce-

cedet, in majori Ecclesia, sive in ea, quae opportunior in singulis Oppidis, Pagisque videbitur, Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum per aliquas horas publice exponatur ut illud auxilium ab alto veniat, quod communis oratio facilius valet impetrare. Usque verò ab hac die opem poscimus B. M. Virginis *Syderibus receptę, quam praecipuam nostrae Ecclesiae Patronam veneramur, eamque uti Sequestrem apud Deum una cum* Divo Sabino *etiam Patrono amantissimo, ac Sanctissimis* Alexandro, *&* Philippo, *primis ejusdem Ecclesię Episcopis, vocamus, & interponimus.*

Volumus autem, ut hæc Synodi indictio Valvis nostrę Ecclesiæ Metropolitanæ, nec non singularum, quæ sunt in Diæcesi Collegiatæ, & Parochiales Ecclesiae, affigatur, omnesque, & singulos, quorum interest, afficiat, ac si singulis singillatim intimata fuisset.

Datum Firmi ex aedibus nostris hac die 23. *Maji* 1793.

SERMO AD CLERUM

INITIO SYNODI.

Um primum ab Ariminensi ad hanc Firmanam Ecclesiam, meritis licet imparibus translati fuimus, divini illius moniti memores = *Diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera (a).* = Pastoralis visitationis exordia in urbe sumentes, totam indè Diœcesim, quamvis ex magna parte asperam lustravimus diligentèr, quo in munere, quæ ad decòrem Domus Dei, Animarum Salutem, & Religionis augmentum, vel necessaria, vel utilia visa sunt, non neglexeximus promovere. Visitatione peracta, unde quid Gregi nostro nocère, quid prodesse posset, satis Nobis innotuit, de Diœcesana Synodo celebranda cogitare cæpimus, ut collectis undequaquè Sacerdotibus Clericisque Nostris, concordem disciplinæ normam latis legibus denunciaremus. Sed non priùs voti compotes fieri potuimus, quam Metropolitani hujus Templi, in quo congrederemur, nova constructio fuerit absoluta: quod opus annos aliquot, & plurimas requirebat curas. Accesserunt aliæ quædam cunctationis causæ, cum pro tuendis nonnullis Ecclesiæ, ac Mensæ

(a) Prov. c. 27. v. 23.

sæ Nostræ juribus, aliisque non exigui momenti negotiis expediendis diù, multumque fuerimus detenti. Sed illa tandèm dies adest, qua nihil Nobis erat optatius, in qua vobiscum esse, jucundissimo conspectu vestro frui, & eas ferre leges, Deo auspice, possumus, quæ ad optimum Ecclesiæ Nostræ regimen maximè facere visæ sunt. Eas porrò in unum digessimus, & certo ordine disposuimus, quas omnes a purissimis fontibus hausimus, optimas quidèm, rebusque nostris, ac tempori accomodatas. Tempori diximus; nam severior, ut benè nostis, fuit olim Ecclesiæ Disciplina. Sed cum Fidelium charitas, Sacrorumque Ministrorum fervor paulatim friguissent, lenire leges, & jugum recusantibus levare pia Mater propemodum coacta fuit; Sed idem tamen mansit in ea Spiritus, ac præcipuè de morum emendatione sollicita, eos ad pristinam innocentiam, & Sanctitatem revocare non optat solum, sed omni studio contendit. Quod quam verum sit, ex Tridentinis Patribus discimus, (*b*) qui propterea cum nihil ad finem consequendum utilius inveniri posse arbitrarentur frequenti Synodorum celebratione, suo eam Decreto præscripsere. In Synodis namquè plurimæ Sanctissimæ Leges, negligentia penè mortuæ reviviscunt, nonnullæ verò, quas Majores Nostri statuerant, eorumque ætati admodum erant opportunæ, hodiè verò inutiles, omninò tolluntur, & si novi irrepserunt abusus, novis Sanctionibus damnantur, & arceantur. Quos inter (dolemus equidèm, sed silentio præte-

(b) Sess. 24. de Ref. cap. 2.

terire non possumus) præcipuus hodie ille est, quem nostris hisce oculis nimis sanè conspicimus quorumdam, quos cum Hyeronimo Sponsos melius appellare possemus, quam Clericos, quosque corrupti hujus sæculi vanitatem, imò impudentiam studiosè imitantes, affectatam non solum, sed immodestam vestium, cultusque elegantiam ostentare non pudet. Hi, ut resipiscant, cum de vita, & honestate Clericorum agemus, monitis, præceptis, pœnisque curabimus. Sed sollicitudinis nostræ scopus non ille tantummodó est, ut Clericis nostris illicita, vel minus decora inhibeamus, verum etiam totis contendimus nervis, ut castitatis, modestiæ, prudentiæ, aliarumque virtutum, & divinarum litterarum amorem insinuemus, ut Ecclesiæ ornamento sint, populis autem exemplo. Et sanè, si Antistitum vigilantia, si Pastorum sollicitudine, si Sacerdotum zelo ulla unquam ætas opus habuit, hæc nostra potissimum est, in qua perditi homines Philosophiam buccis crepantibus jactantes, Catholicæ Fidei, ac disciplinæ bellum acerrimum indixerunt, unde ea mala orta sunt, quibus florentissima Europæ pars premitur, & laceratur. Tales itaquè oportet esse Sacerdotes, quos Dominus super muros Hierusalem constituit custodes, ut teterrimorum hostium impetus, veritatem mendacio, sanctitatem licentiæ objicientes, valeant navitèr propulsare. Cum veró ad rectam Sacerdotalis vitæ, ac muneris normam tradendam, servandamque, ut nuper memoravimus, perspectissimum sit, Synodales leges præ ceteris opportunas esse, in iis exarandis toti fuimus. Ne autem ea statuere fortasè negligamus, quæ vobis

bis vel necessaria, vel saltèm opportuna videantur, consilio etiam, & delectu utimur vestro. Vos enim estis, quibus, (ut ajebat eximius ille Vir Augustinus Valerius Veronæ Episcopus) (*c*) ceu oculis, & auribus uti debemus.

Aderit conatibus nostris Spiritus veritatis, & numine, afflatuque suo præsidium feret; cum piè credendum sit, eos illum nunquám deserere, quos *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei (d)*. Fugiet profectò (si hæc nostra impleantur vota) fugiet lupus rapax a Grege nostro, nec oves Nobis a Christo creditas mactabit, aut perdet; imó nec vulpes parvulæ accedent, quæ vineas demoliuntur. Pronas ergo Sanctionibus nostris præbete aures, Dilectissimi, præbete voluntates, ut unanimes glorificetis Deum, coram ipso in Sanctitate ambulantes omnibus diebus vestris, quod sanè maximum erit argumentum lætitiæ nostræ. Amen.

(c) In libert. ad Elel.
(d) Act. Ap. c 20.

Congregantur igitur. . . . Sacerdotes ad Synodum, ut suum periculum agnoscant, vitam corrigant, & Episcopum docentem audiant.

Guibert. Tornacensis in Tract. de off. Ep. & Eccl. Cærem. Tom. 25. Cap. 7.

Episcopalis Synodus instituta est. . . . ut depravata corrigantur, ut ignorantes instruantur, ut regulę morum, statutaque formentur.

Erasmus Chokier in trac. de jurisdic. in exemptos tom. 2. par. 1. §. 18. n. 206.

Sunt enim, quos sola monitione ad bonum persuadeas; sunt, qui ferè ad omnia pręceptis egent; sunt, qui pœna etiam trahendi sunt.

Jo. Ribera Archiep. Valentinus in præf: ad suam Synodum.

PARS

PARS PRIMA.

CAPUT I.

De Fide Catholica, ejusque Professione, de Blasphemiis; de Superstitionibus, ac Libris improbatæ Lectionis.

IDEM Catholicam, quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit, & sine qua impossibile est placere Deo, in primis confiteamur oportet. Hæc radix est omnis justificationis, & initium Salutis, quæ ab Apostolo definitur: *sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium (a)*: Quamvis autem per Fidem ea credamus, quæ non vi-

(a) Ad Hæbr. cap. 11. V. I.

demus, *rationabile tamen est*, juxta eumdem Apostolum, *obsequium nostrum*. Quid enim rationabilius, quam Deo ipsi credere, qui nec falli, nec fallere potest, qui multifariam, multisque modis olim loquens in Patribus, & Prophetis, novissimè loquutus est nobis in Filio, a quo Ecclesia didicit, quæ nobis proponit credenda? De quorum veritate tot Martyres proprio effuso sanguine testimonium reddidere; quamque innumera ubique terrarum miracula confirmarunt; ut propterea irrationabilis omninò judicandus sit, qui credere adhuc recuset. Quamvis verò in Synodis a nostris Prædecessoribus habitis, multa circa hanc rem fuerint piè, ac prudenter statuta, nihilominus, ubi de Fide sarta tecta agitur servanda, vel de hæretica pravitate eliminanda, nulli diligentiæ est parcendum, nec quæcumque repetitio est vitiosa censenda.

Iis enim teterrimis versamur temporibus; quibus nefarii, ac impii homines nedum Fidem Catholicam labefactare, sed, ut omnibus patet, omni conatu de medio tollere impudentissimè, & palam moliuntur: Quo tamen sunt acriores hostium impetus, eo validiores ad tuendam Fidem sint nobis vires, & sollicitudines. Fidem igitur hanc teneamus, in hac vivamus, hanc confiteamur. Sed cum non tantum corde credere, sed ore etiam Fidem confiteri oporteat, statuimus, ac decernimus, ut omnes Beneficia tam simplicia, quam residentialia obtinentes, potissimum quibus inest Animarum procuratio, ac insuper ii omnes, qui primo ad audiendas Confessiones, & ad concionandum admittuntur (comprehensis Regularibus), Professores Sacrarum Scripturarum, Theologiæ,

giæ, Philofophiæ, Artis Medicæ, cæterarumque liberalium Artium, qui vel publicè vel privatè doceant, Bibliopolæ, ac Impreffores, & demum ii omnes, quos proximè anteacta Synodus commemorat, Fidei Profeffionem juxta formam a Pio IV. traditam, & in *Append. num. I.* relatam emittere omninò teneantur.

Si hæc Fidei Profeffio hactenus ab aliquo omiffa fuiffet, in præfenti Synodo eam emittere teneatur. Ne verò omittatur in pofterum, mandamus, ut quilibet infra duos menfes a die Beneficii, et Officii refpective obtenti, coram Nobis, five Noftro Vicario Generali, & Canonici etiam coram Capitulo emittere debeant. Si fecus faciant, reftituendis fructibus, aliisque Canonicis pœnis, quacumque poffeffione etiam pacifica non obftante, fint obnoxii.

Parochi, ac Vicarii Foranei diligentiffime curent, ne, fi quis fit, ut fupra, ad Fidei profeffionem emittendam adftrictus, aliquod ex defcriptis muneribus intra fuæ Pareciæ, & Vicariæ fines vel fufcipiat, vel fufceptum exerceat, nifi publicum teftimonium de ipfa Fidei profeffione emiffa proferat.

Porrò, prout jam in more eft, nomina, & cognomina eorum omnium, qui hujufmodi profeffionem emittunt, una cum die, loco, & cauffa per Cancellarium Noftræ Archiepifcopalis Curiæ in Codice ad hanc rem dumtaxat præparato, quique in Archivio adfervetur, referantur, adhibitis ad perpetuam rei memoriam binis teftibus.

Qui Fidem Catholicam profitemur, fummo ftudio agere debemus, ut pura, & fincera a nobis confervetur. Quilibet ergo error circa ipfam abfit omninò, ne hæretica pravitate

maculemur. At quoniam, prædicente Apoſtolo, oportet & hæreſes eſſe, mirum non eſt, ſi interdum perditiſſimi homines Catholicis Dogmatibus nefariæ hæreſis venenum impingant. Hiſce autem impiis conatibus reſiſtere, eoſque profligare, Paſtorum vigilantiæ eſt, atque laboris. Omni itaque ſtudio invigilent Parochi, & exquirant, utrum adſint intra Pareciæ fines hujuſmodi furfuris homines, qui vel lateant, vel ſe publice manifeſtent, qui Sacrum diebus feſtis audire, præſcripta jejunia obſervare, & a carnibus vetito tempore abſque facultate, ſeu legitima cauſſa, abſtinere deſpiciant; qui Juriſdictionem, vel Perſonas, aut Cenſuras Eccleſiaſticas contemnant, Sacramenta, eorumque uſum, Ritus Sacros, Indulgentias, & mortuorum Suffragia irrideant. Peculiariter vero obſervent, ſi qui ſint, qui ament, vel commendent recentiores opiniones, quæ ultra montes ortæ, hoc potiſſimum tempore miserè graſſantur, orthodoxæque Fidei ruinam intentant. Hujuſmodi homines Animarum Rectores, Eccleſiæque Miniſtri omni patientia, & doctrina inſtruant, moneant, increpent etiam, & arguant, & demum nobis vel S. Inquiſitionis Officio denuncient, prout quiſque hoc onere tenetur.

Haereticis proxime ſuccedunt Malefici, Divinatores, Magiae, praeſtigiorumque ſtudioſi. Hi enim cultum, qui uni Deo debetur; aut Daemoni, illius fallaciis, & arte decepti exhibent, aut vano, ac ſuperſtitioſo ritu pervertunt. Ne ſub ſpecie boni vaferrimis eorum artibus illudantur fideles, diligenter Parochi inſtent, doceantque, gravem injuriam Deo rerum omnium Domino irrogare tam eos, qui incantationibus, di-

divinationibus, magicis artibus, veneficiis, maleficiisque se profitentur morbos inferre posse, vel levare, armorum ictus irritos reddere, res deperditas invenire, Sponsos ligare, & solvere, aliaque hujusmodi deliramenta praestare; quam illos, qui eisdem operam praestent, fidemque seriò adhibeant. Populum propterea moneant, si non expressum, tacitum saltem cum Daemone pactum in similibus intercedere. Omnes insuper, qui haec exerceant, juxta Canonicas sanctiones sunt denunciandi, & puniendi, in eamdemque superstitionem, & pœnas incidunt, quicumque ipsorum Divinatorum, Sortilegorum, Veneficorumque opere usi fuerint.

Ad formam proxime praecedentis Synodi volumus, ut Parochi Edictum S. Inquisitionis, super hisce omnibus jam editum, bis in Anno, Dominica nempe prima Adventus, & Quadragesimae evulgent. Quod vero ad Hebraeos alias jam latae leges, & potissimum edictum a SS. D. N. PIO VI. initio volventis anni emanatum omnino serventur.

Hic advertendum est, aliquas adesse mulierculas, quae, si quem diuturno morbo laborantem viderint, Sagarum artibus id accidisse facile putant, imò eas interdum se noscere asserant, vetularum aliquam insimulantes. Pastoribus idcirco, & Confessariis injungimus, ut ab eorum animo vanas hujusmodi suspiciones evellere conentur. Rursus advertendum censemus, quasdam ex ipsis mulierculis quandoque reperiri, qui certis quibusdam herbis, vanisque signis, aut verbis morbos, & dolores tollere praesumunt. Hae, ubi admonitae non emendentur, Sacramentali careant absolutione.

Ægros autem signare, exorcismos adhibere, medicamina be-

benedicere, ac immundos Spiritus ab obſeſſis corporibus pellere, nemo ex noſtro Clero, ſive ſaeculari, ſive regulari audeat, niſi noſtra intercedat facultas ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis. Hujuſmodi enim benedictiones volumus, ut a Parocho peragantur, vel, ſi ab aliis, de Noſtro, Parochique conſenſu, iis tamen adhibitis orationibus, & precibus, quae a Rituali Romano praeſcribuntur, ac quovis turpi quaeſtu ſemoto, & munere, licet ſponte offeratur.

Juxta Auguſtinum Blaſphemia eſt: *mala verba de Deo dicere*: *(a)* Theologi vero ajunt, Blaſphemiam eſſe, quidquid Deo tribuitur, quod ei minime convenit, vel quum attributum aliquod ei conveniens detrahitur. Veteri lege vigente, blaſphemantes morte puniebantur *(b)*. Propterea Judaei cum Chriſto mortem inferre molirentur, blaſphemiae reum iniquiſſime conclamarunt. Peſtilens hocce vitium, quo perditi quidam homines quodammodo gloriantur, noſtra etiam tempeſtate pene ubique graſſatur; ac idcirco ſummo ſtudio nitendum eſt, ut prorſus evellatur. Quapropter Edictum hac in re a Nobis latum, & in *Append. num. II* relatum, omninò ſervetur. Quod quidem Edictum in cauponis, aliisque publicis locis perpetuo retineatur affixum ſub pœnis, quas in hujuſmodi Edicto praeſcripſimus.

Declaramus porro a Blaſphematoribus, nulla habita Perſonarum ratione, indictas pœnas Nos omnino exacturos; quae quidem pœnae ſecundum Blaſphemiae gravitatem, vel iterati criminis rationem, arbitrio Noſtro augebuntur.

Qui

(a) De Morib. Manichæor. lib. 2. Cap. 11.
(b) Levit. cap. 24.

Qui Blasphemiæ manifestam hæresim sapientis crimen commiserint, sciant se pœnis per S. Inquisitionis Officium propositis esse obnoxios, prout etiam nec a lethali culpa, nec ab arbitraria pœna fore immunes, qui opportune non objurgarint, quos blasphemare audiant, & statim, omni spe emendationis postposita, ad Judices Ecclesiasticos non detulerint.

Parochi inter Missarum solemnia, ac peculiariter primis cujusque Mensis Dominicis, Blasphemiæ gravitatem, pœnas indictas, & Edictum nostrum Populo denuncient. Confessarii vero majori, qua possunt, vi in Sacramentalibus Confessionibus contra hujusmodi crimen insurgant, ac scelestissimis hisce hominibus absolutionem, donec resipiscant, opportune differant. Parentes demum in Filios, Domini in Servos Blasphemantes severe animadvertant, ne, ipsis conniventibus, hoc execrandum delictum fovere quodammodo videantur.

Cuilibet notum est, qualis, quantusque fuerit priscorum Patrum, Pastorumq. Zelus, ut librorum lectio, quos Fidei, morumque puritati quoquo modo noxios putabant, è Fidelium manibus tollerentur. Hinc Hæreticorum, & Gentilium volumina, & obscœna scripta Christiano homini vetita esse voluerunt. Plura postmodum a Conciliis, & Romanis Pontificibus in re tanti momenti fuerunt salubriter sancita. Et reverà, quanta attulerint mala improbatæ lectionis libri, potissimum ii, qui non rectam Philosophiam, sed vacuam, & inanes fallacias præseferentes facillimè in errorem, & in omnem impietatem incautos traducunt, non sine lacrymis

exprimi potest. Hujus rei exempla miserandum in modum præsentia tempora suppeditant.

Hujusce itaque generis libros, & alios, qui in Indice damnati recensentur, sub jam statutis pœnis nec retinere, nec legere absque legitima facultate præsumant. Cætera, quæ de hujusmodi improbatæ lectionis libris proxime antea-cta Synodus decrevit, plene servari mandamus.

CAPUT II.

De Divini Verbi prædicatione, & Doctrina Cristiana.

VErbo Domini creatus Mundus, verbo Domini redemptus fuit. Ipsum siquidèm Verbum Patris, Caro factum, redemptionis opus, quod moriendo perfecit, evangelizando inchoavit, inquit enim: *Evangelizare Pauperibus misit me:*, & ejusdem operis sui Vicarios, interposito suæ supremæ potestatis imperio, Apostolos constituit, præcipiens, ut euntes in Mundum Universum docerent omnes gentes, & Evangelium prædicarent omni Creaturæ.

Apostolis Episcopi successerunt, qui primis Religionis Christianæ sæculis ipsi soli prædicandi munere fungebantur. Et reverá ex Presbyterorum ordine Origènes, dein Chrysostomus (quod sciamus), in Orientali Ecclesia, Felix Nolanus, & Augustinus in Occidentali fuerunt primi, qui prædicarent.

Post-

Postmodum messe, quasi in infinitum crescente, multiplicari Operarios necesse fuit, cum soli Episcopi non sufficerent. Quod in caussa fuit, cur successu temporis Regulares etiam Presbyteri ad prædicandum Populis mitterentur.

Quantum ad Nos attinet, non desumus, nec deerimus, dum vires valeant, os aperire nostrum, & oves curæ nostræ concreditas divini verbi pabulo nutrire. Sed Parochis etiam onus impositum est, prædicandi nempè, & docendi Populum sibi commissum: Hinc omnia, quæ relate ad utrumque Parochorum munus Tridentina Synodus *Sess.* 5 *de reform. cap.* 2. præscripsit, observent ii diligenter sub pœnis ab eadem indictis. Quod ad Concionem parochialem, ubi plures sunt in Oppidis, ac Castris Parochiæ, ne harum Rectores eadem hora, eodemque tempore sermonem haberent, exoptaremus. Si enim diversis temporibus, & juxta Horarium inter ipsos Parochos concordandum unus post alium in suis Ecclesiis prædicaret, uberius, & a pluribus divinum verbum audiretur.

Cæteri verò, qui ad hujusmodi ministerium assumpti sunt, studeant in primis ita proprios componere mores, ut divino illo non exprobrentur effatu: *Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum, tu verò odisti disciplinam?* Non sermone solum, sed etiam vita, & exemplo prædicent. Non enim officio prædicandi aptus est, qui solum voce clamat, sed ille potius, qui, ut Præcursor Baptista in Deserto, *totus vox est*, *ore clamans*, *& opere*. Ne igitur patiantur, se videri vagantes, frequentare Domos, ludis, aut Epulis vacare, concursare per Vicos, & Pla-

Plateas, sed in hospitiis suis se contineant, ubi nonnisi Ecclesiasticos, vel probatæ vitæ Viros excipiant: Ea sint laborum suorum mercede contenti, quæ juxta loci consuetudinem tribui solet, ut se non turpis lucri, sed salutis Animarum dumtaxat cupidos ostendant. Si qui secus se gesserint, non negligant Vicarii nostri Foranei, Nobis id notum facere, ut eos in præsenti corrigere, & inposterum prædicationis officio privare in hac Diœcesi nostra possimus.

Conciones ita disponant suas, ut omnium captui sint accommodatæ; non nimiæ studeant brevitati, neque ultra modum prolixi fastidium pariant audientibus, nec se depravato quorumdam gustu trahi sinant, qui Philosophos potius, quam Apostolos, qui Senecas magis, quam Paulos amant. Impotens enim humana ratio est ad veros Christifideles formandos, cum Fidei tantummodo privilegium hoc sit, & sola declaratio Dei sermonum illuminet, & intellectum det parvulis (Psal. 118.).

Qui ad divinum Verbum annunciandum ad Oppida, locosque nostræ Diœcesis, tempore præsertim quadragesimali, mittuntur, hac Synodali lege teneri volumus, ut hebdomada Passionis Populum, concionis loco, Chathechesibus instruant per quinque continuos dies, ut rustici præsertim (quorum cum plures ingenio rudi, & memoria sint fluxa, eorum, quæ de Doctrina Christiana didicerunt, in provectiori ætate oblivifcuntur) denuò percipiant; præsertim ea, quæ ad Pœnitentiam & Eucharistiam pertinent. Ità eos ad ritè suscipienda Paschalia Sacramenta disponent.

Nemo ex ipsis Concionatoribus sub ullo prætextu etiam con-

confuetudinis, vel ob exiguum Auditorum numerum a prædicando abftineat. Nemo Orationes Panegyricas, etiamfi in literis patentalibus hujufmodi onus ab iis, ad quos fpectat nominatio, fuiffet adjectum, recitet inpofterum, exceptis laudibus, quæ recitari folent die Fefto S. Jofeph, SS. Annunciationis, ac etiam Feria Sexta Paffionis in honorem Dolorum B. Virginis Mariæ. Sed in his quoque laudibus recitandis aliquid addant quod ad mores fpectet.

Virginibus Deo dicatis Verbum Dei miniftrantes ea argumenta potiffimum pertractent oportet, quæ earum ftatui apprimè conveniant, quæque ad Votorum, & Regulæ obfervantiam pertineant, & ad perfectioris vitæ genus conducant. Caveant autem, ne ulla cum ipfis Sanctimonialibus colloquia vel publicè, vel privatim ineant, a quibus penitus eos abftinere jubemus, exceptis tantum Sacriftis pro fola muneris neceffitate, atque Abbatiffa, & Vicaria nedum pro neceffitate, verum etiam pro duabus vicibus urbanitatis tantum cauffa, nimirum cum accedent primo prædicaturi, demum cum prædicationis munus abfolverint.

Meminerint ipfi Concionatores Eleemofynas pro Terræ Sanctæ tuitione, & captivorum redemptione Chriftifidelium pietati ferventius commendare juxta Encyclicas literas Cl. me: Cardinalis Bofchi, de quibus in *Appendice num. III.*

Nemo ex Regularibus, & nemo ex Presbyteris extra Diæcefim ad prædicandi munus adprobabitur, nifi primi a Prælato fuo, alteri verò a fuo Ordinario obtentam veniam exhibuerint.

Eleemosynas, quæ in concione pro Animabus in Purgato-

rio detentis colligentur, in totidem celebrandis Officiis generalibus, dempta prius ea portione, quæ juxta locorum consuetudinem ipsi Concionatori pro totidem Missis agendis tribui solet, omninò erogari præcipimus; quæ quidem Officia, dato pridie signo, inuuantur, & Missa cum cantu de more demum absolvantur. Vacet autem hujusmodi Missa, nisi præcesserint saltem duodecim Sacrificia lecta; alias enim in canendis Missis ferè omnes Eleemosynæ insumerentur. Interdicimus ergò, ne ulla super ipsis Eleemosynis particularis fiat divisio inter Presbyteros, nevè Eleemosyna tradatur illi Sacerdoti, qui in Ecclesia, ubi Officia aguntur, non celebraverit, & insimul applicaverit.

Quæ continentur in hoc Capitulo quod ad Concionatores, Parochi, sive Vicarii Foranei iisdem offerant legenda, cum primo ad prædicandum accesserint, & absoluta prædicatione de ejus exitu certiores Nos reddant.

Nunc de Doctrina Christiana tractandum. Parochis igitur, & omnibus iis, quibus Animarum cura concredita est, maximè cordi esse debet, ut parvuli, quibus lacte opus est, non solido cibo, in primis Fidei elementis quam diligentissimè instruantur, ne forte aliquando fluctuantes omni doctrinæ vento circumferantur, sed superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, crescant in habitaculum sanctum Dei. Si quos negligentes in hac pastoralis officii parte inveniemus, nos profectò in eos animadvertere non dubitabimus. Opportunum foret (quod maximè optamus) in unaquaque Paræcia, si id locus patiatur, Confraternitatem erigere Christia-

ſtianae Doctrinae, cui ſpectatae pietatis, & capacitatis Viri, & Foeminæ adſcriberentur, quibus pueros, puellaſque Myſteria Fidei, praecepta legis, aliaque juxta methodum a Ven: Card. Bellarmino exaratam, quamque omnibus anteponimus, docendi munus imponeretur.

Ad quam Confraternitatem erigendam & a proximè praecedenti Synodo etiam inſinuatam, incitamento eſſe poterunt Indulgentiae a Summis Pontificibus Pio V., Gregorio XIII., & Paulo V. elargitae, ſi illas Parochi de Altari notas facere non praetermittant.

Ubi veró erigi nullo pacto queat, ſaltem aliquos adjutores pios, & idoneos ſibi Parochus adjungat, Doctrinae claſſes diſponat, pueroſque a puellis ſeparet, ut illi a Viris, a mulieribus iſtae per brevem horam erudiantur. Poſtmodum ipſe Parochus in Eccleſiae medio ſtans, & invocato Divino Spiritu Cathecheſim inſtituat. Parvi enim intereſt, nudas voces a diſcipulis memoriter retineri, niſi ſenſum illarum intellectu comprehendant. Ille igitur modo unam, modo alteram Doctrinae partem vernaculo, & familiari ſermone per accommodas ſimilitudines, & per exempla ad diſcentium captum opportuna diligenter explanet cum omni patientia, ac demum per crebras interrogationes, num bene perceperint, exploret. Poſt haec, omnibus genuflexis, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Apoſtolorum Symbolum, Praecepta Decalogi, Sacramenta, actuſque Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis pueris, puelliſque alta voce repetentibus recitabit. Data demum benedictione, audientes dimittat.

Ne-

Nemo ex rudibus matrimonio jungatur, nisi si instituto ante denunciationes examine de praecipuis Fidei rudimentis, bene instructus in his inveniatur. Qui verò haec ignoraverit, non a Matrimonio solum, sed a Patrini munere, a suscipienda Sacra Synaxi, & a piarum dotium participatione arceatur.

Ludi Magistri, omnesque alii Scholasteria quomodocumque exercentes, sciant, semel saltem in hebdomada se teneri ad Doctrinam Christianam suis Discipulis explicandam, ipsosque veram Sapientiam, a qua omnis alia Sapientia provenit, edocendam. Quod si neglexerint, ea, qua in re hujusmodi pollemus, auctoritate, eosdem ad negligentiae mensuram corripiemus.

Confessarii denique sciant, Sacramentali absolutione indignos esse censendos, qui ea, quae scitu necessaria sunt ad salutem, vel nunquam didicerint, vel detestanda oblivione deleri e mente permiserint.

Praecipimus insuper singulis Sacerdotibus ut omni diligentia, studio, & charitate ad docenda Fidei rudimenta concurrant: Nos itaque Confessariis id praestare renuentibus, ubi necessitas postulaverit, & fuerint requisiti, facultatem Confessiones audiendi ulterius non prorogabimus, Sacerdotibus vero non Confessariis minime concedemus. Nulla insuper ratio de ipsis habebitur in collatione Beneficiorum, & in Concursu ad Cappellanias, sivè alia hujusmodi, si praeter cætera testimonia illud etiam non habeant documentum a Parochis jurejurando firmatum, de diligentia in Christianae Doctrinae explanatione. Si sermo sit de Clericis, nisi frequentes interfuerint, vel ad docendum, si instructi sint, vel ad piscendum,

dum, si minus periti, scientiam salutis, nec non a Parocho juratum pariter testimonium obtineant, a suscipiendis ordinibus certissimè repellentur.

Potissimum volumus, ut Sacerdotes sive sint Sæculares, sive Regulares, qui diebus festis, ac Dominicis in ruralibus Ecclesiis celebrant, instruere teneantur Populum in Doctrinæ Christianæ rudimentis, edocentes saltem Signum Crucis, Mysteria SS. Trinitatis, & Incarnationis, Symbolum Apostolorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, septem Sacramenta, Præcepta Decalogi, & Præcepta Ecclesiæ; Item, eodem Populo comitante, recitare obstringantur alta, & intelligibili voce Actus ad æternam salutem omnino necessarios, nempe Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis (a): quæ quidem instructio, & recitatio fiat *post lectum primum Evangelium*, ut certa sit totius Populi prædicti in Ecclesia præsentia. Qui in his deliquerit, pœnam privationis a Cappellaniis, & *suspensionis a Divinis* respective *ipso facto incurrendæ* statuimus.

Scimus, quosdam ex Presbyteris legem hanc (quam cætoroquin, tanquam necessariam, nonnullis in Locis jam tulimus) pœnamque ei adjectam nimis rigidam inclamasse, hyemali potissimum tempore, quo vel nimium frigus, vel trajiciendorum fluminum difficultas, vel alia id genus accidere possunt. Sed si hæc incommoda eis minimè obstabunt, quo minus ad prædictas rurales Ecclesias accedant, ibique Sacrum agant, ne impedient quidem, quin tantillum temporis

(a) Concil. Rom. Tit. I. Cap. V.

ris pro Doctrinæ explanatione absumere quoque valeant. Declaramus verò, si plures sint, quæ una die, eademque rurali Ecclesia celebrare soleant, ad onus Doctrinæ peragendæ unum, vel alterum dumtaxat alternis vicibus teneri. Tempore tamen Messis si Festus dies intercedat, ruralis Cappellanus ea die a Doctrina vacet.

Ignorantiam Doctrina Christianæ, qua in nonnullis Diœcesis locis multam agnovimus, peculiariter derivare deprehendimus ex Parentum oscitantia, qui proprios Filios statutis diebus ad Parochialem Ecclesiam mittere negligunt. Mandamus idcircò in primis, ut Parochi ab Altari, dum concionem habent ad Populum, hac super re Parentes moneant, & acerrimè objurgent. Quod si dicto audientes non fuerint, negligantque adhuc proprios Filios ad Doctrinam addiscendum cogere, Parochi ipsi Sacramenta illis denegent, donec resipiscant, & elenchum conficiant negligentium, illumque tradant Vicariis Foraneiis, quibus propterea injungimus, ut statim ipsos negligentes mulcta juliorum quinque pro qualibet vice afficiant. Crescente verò eorum contumacia, eos Nobis denuncient, ut carcere, aliisque gravioribus pœnis plectantur.

CA-

CAPUT III.

De Festorum Dierum, & Jejuniorum observatione.

NUlla umquam natio extitit, quæ, si Divinitatem aliquam coluit, Festis caruerit diebus, qui præcipuam partem cujuscumque cultus constituunt. Nos de illis hoc loco tractamus Festivitatibus, quæ in unius veri Dei honorem sanctissimè fuerunt institutæ.

Primævo tempore mos Patriarcharum fuit, quosdam celebrare dies Festos eo fine, ut in hominum mentibus idea Dei tamquam Mundi Creatoris, & Gubernatoris, nec non Creaturarum suarum benefici Parentis excitaretur, & servaretur. Postmodum in Lege, ipsius Dei digito in Tabulis exarata, & Israelitico Populo tradita, Sanctificatio Sabbati statuta fuit, ac plures indè adjunctæ Festivitates, ut eidem Deo, tamquam Legislatori, ac Protectori summo Populus ille solemnem tribueret cultum.

Nos verò sub lege gratiæ viventes, Redemptionis, & Sanctificationis nostræ mysteria institutis Festivitatibus religiose recolimus, quarum princeps est Dominica Dies, veteri Sabbato ab Apostolis suffecta. Opus enim erat, ut æterno aliquo, ac solemni monumento consecraretur illius memoria miraculi, quod Christianæ Religionis est firmissima basis, Resurrectio scilicet Domini Nostri Jesu Christi. Nam, si Christus (inquit Paulus) non resurrexit, vana est Fides no-

ſtra. Sed & aliae hanc ſequuntur ſolemnitates: Illa ſcilicet Pentecoſtes, quae diem memorat, in qua Spiritus Paraclitus ſuper Apoſtolos deſcendit; illae deindè Nativitatis, Epiphaniae, & Aſcenſionis Redemptoris Noſtri. Accedit, quod cum primi Fideles Martyrum mortem, tamquam inſignem victoriam, ac Religionis triumphum reſpicerent, ad Sepulcrum, ubi fortes illi Athletae poſiti fuerant, feſtivo ritu ſacra myſteria celebrare cœperunt, ut tam praeclara Fidei, et Fortitudinis exempla ſibi ob oculos ponerent, quae imitarentur. Id ex actis Sanctorum Ignatii, & Policarpi clare colligimus, quin & ſimilia Romae contigiſſe non dubitamus, cum Sancti Apoſtoli Petrus, & Paulus Martyrium ſubiere. Seriùs autem, & fortaſſe non ante nonum Saeculum Sanctorum etiam Confeſſorum feſtivitates celebrari cœptum eſt, qui, quamvis Sanguinem pro Fide non fuderint, Eccleſiam tamen heroicis virtutibus illuſtrarunt.

Hæc, aliaque hujuſmodi ſi Parochi noſtri ſæpe ſæpius Populis exponant, & quo fine feſti dies inſtituti fuerint, demonſtrent, facilè ſuadebunt, qua religione ſanctificandi ſint, ut e medio tollantur tot nefandæ prophanationes, quas non fieri ſolum, ſed in dies etiam (proh dolor!) creſcere videmus.

Quantum ad Nos attinet, ſatis ſanctificationi feſtorum dierum conſultum a Nobis fuiſſe arbitramur, evulgato Edicto, quod damus in *Appendice num. IV*. Hinc quæ in in eo decrevimus, iterum hic ſancimus, eamdemque vim, & efficaciam ipſi Edicto tribuimus, quam hæc ipſa habent Synodalia Decreta.

Por-

Porrò præter ea, quæ ibi vetuimus diebus festis facienda, comprehendi volumus prohibitionem illius clamorosæ exercitationis, quam dicunt = *Tiro al Gallo* = sub iisdem pœnis, quæ in ipso Edicto quod ad alia prophanationum capita statuimus. Vetitum quoquè sit, ne festis ipsis diebus, & feria VI. cujuslibet hebdomadæ, nec non Adventus, & Quadragesimæ tempore, ac demùm vigiliarum diebus quibus jejunium sit indictum, fiant canum cum bobus, certamina, quæ inter spectacula clamorosa in hac Picena Provincia meritó habentur. Hujusmodi autèm certamina dictis diebus prohibemus, sivè peragantur, inclusis bobus intra sepimenta lignea, vulgò = *Steccati* =, sive boves ipsi funibus alligati per vias, & plateam agitentur. Nullum autem hac in re arbitrium sibi vindicaré possit laica Auctoritas, quæ instare valet, & debet, ut festi dies debito honore colantur, nunquám tamen ut vel in minimo prophanentur. Si quis deliquerit, pœnam dabit pecuniariam, ac in carcerem quoquè conjicietur.

Immoderatus Campanarum sonus, qui recurrentibus festis diebus agi solet, ob ejus prolixitatem omnibus fastidio, nemini est ædificationi. Modum itaquè impositum in proximè præcedenti Synodo adprobamus, & confirmamus, eumdemque servari mandamus etiam *hora decima noctis*, quæ diem festum Translationis almæ Domus Lauretanæ præcedit. Volumus enim, ut ea occasione sonus ipse unius horæ semiquadrantem singulis vicibus non excedat sub mulctà juliorum triginta illicó exigendá.

Intolleranda quoquè eſt, & ad prophanationem feſti dieì omninò vergit frequens illa ſcloporum diſplosio, aliorumque id genus Inſtrumentorum, quæ in pervigilio, nocte, & die ipſo feſto ejuſdem Translationis almæ Domus Lauretanæ immoderatiſſimè peragitur. Diſploſiones itaque hujuſmodi omninò prohibemus; quas dumtaxat tolerabimus, dum aguntur functiones in Eccleſiis, & toto eo tempore, quo eâdem hora decima noctis Campanæ pulſantur, dummodò fiant per loca minus habitata, & juxta modum præſcriptum in Edicto per Nos evulgato, de quo in *Append. num. V.* ſub pœnis in eodem contentis.

Hactenus de iis, quæ fieri diebus feſtis prohibentur: Nunc de iis, quæ agi debent. Miſſæ itaque Sacrificio devotè omnes interſint; & Patresfamilias, ut Filii, Servique ad illud conveniant, pro viribus curent. Per totam diem ab operibus ſervilibus abſtineant ipſi, eorumque juſſu abſtineant illi, ut exindè in Sacrorum Myſteriorum meditatione, in Divino cultu, ac pietatis operibus dies ipſi tranſigantur.

Ut autèm ſic ſanctificentur ipſi dies, Parochi diebus feſtis omne ſtudium adhibeant, ut Populum in omnibus ingenioſæ pietatis exercitiis occupent, ac potiſſimum in frequentia Sacramentorum, in Paſtoralibus documentis, faciliori tamen, qua poſſunt, methodo accommodatis, in Doctrina Chriſtiana edocenda, & in B. M. V. Roſario recitando, detineant.

Porrò cum prava, & ſcandaloſa invaluerit conſuetudo, ut, abſolutis S. Functionibus die feſto de ſero, aliqui, ex villicis præſertim, Juvenes Amaſias ſuas ad proprias rurales ædes comitentur, ac una ſimul publicè, & audacter per viam

viam incedant, volumus, ut Parochi in tam detestabilem abusum frequentissimè invehant, objurgent, & moneant; quosque contumaces deprehenderint, demum Nobis denuncient, ut congruam pœnam, etiam Carceris iisdem infligamus. Ne verò memoratis diebus festis generatim rustici viri ad suas ædes noctu, & cum mulieribus permixti redeant, mandamus, ut sacræ functiones de sero diei festi circa horam vigesimam secundam, potissimum in parvis locis, vicisque sint prorsus absolutæ.

Frustrà autem ea omnia, quæ ad Festorum dierum observantiam edicimus, promulgata erunt, nisi Vicarii Foranei, Parochique, ut omnino adimpleantur, invigilent. In id igitur omnes hortamur, & obsecramus; & si quis ex ipsis, vel ex conniventia, aut amicitia, aut munerum illecebris festorum dierum inobservantiam aliquo modo permittere deprehensus fuerit, officii privatione, aliisque arbitrio Nostro pœnis afficietur. Potissimum verò ipsi Vicarii Foranei ita se gerant, ut contra eos, qui festos dies prophanaverint, ad statutas mulctas exigendas, nulla habita ratione personarum, illicò procedant; alias iisdem mulctis, quæ in prophanatores statutæ sunt, erunt obnoxii.

Solemniores Ecclesiæ festivitates anteire solent jejunia, ut per ea fideles populi carne mortificati, ad illas dignè celebrandas præparentur. Jejunium enim valet plurimum ad patrata peccata expianda, & ad ea, quæ in posterum committi possent, arcenda (a) Præterea Diabolus, qui nostris (in-

(a) S. Bern. Serm. 4. de Quadrag.

quit

quit *Hieron. ad Demetr.*) saturatur ex culpis, Nobis jejunantibus esurit.

Animarum itaquè Curatores Populis generatim, Confessarii vero suis pœnitentibus, exactam jejuniorum observantiam urgeant, & ad internam a concupiscentiis abstinentiam impellant. Non enim fructuosè corpori esca subtrahitur, nisi mens ab iniquitate revocetur, sed tunc nobis prosunt suscepta jejunia, quando divinæ sunt placita pietati.

Ne autem ob jejuniorum ignorantiam debita Ecclesiæ obedientia negligatur, volumus, ut Parochi omnes, nec non Cappellani rurales vigilias per annum occurrentes, & quatuor anni tempora Dominicis diebus inter Missæ celebrationem enuncient, eorumque observantiam inculcent, moneantque, Quadragesimale præsertim tempus divinis obsequiis esse dicandum.

Pridiè etiam diei, quo jejunandum est de præcepto, signum peculiare, vel post salutationem Angelicam, vel hora prima noctis, in nostra Ecclesia Metropolitana, in omnibus Collegiatis, & Parochialibus Ecclesiis detur omninò, ut Populus de jejunio crastina die servando præmoneatur. Idem præstari volumus per horæ dimidium ante mediam noctem, quæ feriam quartam Cinerum antecedit, ita ut omnes intelligant, jejunii, & abstinentiæ a cibis prohibitis, absoluto campanæ pulsu, tempus inchoare.

Demum quæ circa jejunium a proximè præcedenti Synodo fuerunt declarata, & statuta, pleniſſimè confirmamus, atque omnimodè observari jubemus.

CA-

CAPUT IV.

De Sacrosanctis Ecclesiis, earumque veneratione, cultu, & Immunitate.

TEmplum Dei Sanctum est, Dei structura est, Dei ædificatio est. O quam igitur metuendus est locus iste? Verè non est hic aliud, nisi Domus Dei, & porta Cœli. Ibi commercium Dei cum hominibus est. Ibi nostra Divinæ Majestati obsequia reverenter offerenda sunt, & ibi nostras Divina bonitas preces admittet, si ea tamen animi puritate, humilitate, veneratione, qua decet, accedamus; domum enim Dei decet Sanctitudo: Alioquin ultio Domini, ultio Templi sui.

Quamvis multa sapienter, ac diligenter a Decessoribus Nostris super cultu, veneratione, munditie, & immunitate Ecclesiarum fuerint constituta, attamen, quia vel ignorari, vel negligi plerumque solent, aliqua, quæ potiora sunt, duximus repetenda.

Fideles itaque omnes hortamur in primis, ut sacra Templa diebus præsertim Dominicis, & Festis frequentare nunquam cessent, & se coram Deo sistere meditantes, ibi tremendam, & ineffabilem Majestatem adorent, gratias agant, auxilium invocent, misericordiam implorent non in labiis tantummodo, sed in *Spiritu & veritate*. Absint omninò confabulationes, prophani discursus, & sæcularia negotia, multo

to magis verò risus, detractiones, & turpiloquia, quæ loci Sanctitatem, & Christianam Religionem offendunt.

Viri seorsim a fœminis, quoad fieri potest, sint segregati in Ecclesiis, præsertim tempore S. Concionis, & Communionis. Imó volumus, ut in iis Ecclesiis, quibus tempore Quadragesimæ, & Adventus solent Concionatores divinum verbum annunciare, ipsarum Ecclesiarum Rectores teneantur omnino vel ligneis sepimentis, vel alio decenti modo ità viros, & fœminas separare, ut quilibet obtutus, & colloquium impediatur.

Viri aperto capite omnino sint in Ecclesia, ita ut non solum pileum, sed quodcumque indumentum retis, sive bireti deponant. Mulieres verò sint velato capite, ac modestis vestibus Templa ingrediantur, abjectis vanissimis illis Capitis, vestiumque apparatibus, qui Sæculi quidem moribus, minimè tamen Sanctitati loci congruunt. Potissimum verò sub gravi pœna pecuniaria, ac etiam excommunicationis in Sanctuarium non intrent virorum vestibus indutæ.

Nemini liceat per Ecclesiam stipem quærere, etiamsi sit pauper, qui ad fores adstare debet, eam poscens demissiori voce. Nemini rursus liceat, canes secum ducere in Ecclesia, qui quandoque divina Officia nedum perturbant, verum Ecclesias ipsas foedant, atque scandalo sunt. Si ingrediantur, eos ejiciant Sacristæ, qui, si desides fuerint, arbitrariam poenam subibunt. Id autem agant, nulla habita ratione personarum, quæ canes ipsos deferunt, quæque, si contumaces fuerint, poenas etiam ipsæ dabunt, & iidem canes ab Executoribus nostris apprehensi necabuntur.

Ne-

Nemo Laicus in Presbyterium Clericorum, sive Saecularium, aut Regularium, dum actu divina Officia persolvuntur, ingrediatur, ibique sistat. Nemo in januarum limine, Missam auditurus immoretur, ac nemo in Ecclesia sistens, Altaribus, vel Baptisterio, aut pilae aquae benedictae adhaereat, minusque in ipsis Altaribus pileum deponat. Nemo demum vel tempore Concionis, vel alicujus Ecclesiasticae Functionis intus Sacrae Poenitentiae Tribunalia immoretur, & sedeat. Haec omnia impediant Ecclesiarum Rectores, & aeditui, trasgressoresque denuncient Vicariis Foraneis, ut eos mulctá juliorum decem singulis vicibus afficiant.

Audacissimos porro illos Juvenes acerrimè objurgamus, qui, cum foeminae ad Ecclesiam accedunt, vel absolutis divinis rebus recedunt, hinc inde, quasi acie instructa, prope ipsarum Ecclesiarum fores consistunt eo animo, ut vel facto, vel dicto, vel obscenis verbis, vel curiosis obtutibus foeminas ipsas divexent. Caveant a re hujusmodi; praeter enim carcerem alias poenas subibunt juxta Edictum, quod pro hac Civitate edidimus in *Append. num. VI.* relatum, quodque pro tota nostra Dioecesi ut vigeat declaramus.

Abstineant etiam viri, ne ante ipsas Ecclesiae fores consistant, expectantes vel ut Missa, quam sunt audituri, inchoetur, vel ut sit proxima benedictio SSmi Sacramenti, quam recipere volunt. Ingrediantur enim utcumque, si Missae, & Sacris interesse velint, vel si nolint, omnino recedant.

Foeminae infantes triennio minores in Ecclesiam non deducant sub poena juliorum trium, tam ab ipsis foeminis,

quam a Rectoribus, qui eas tolerant, repetenda. Nulla ducantur insuper animalia, ac præsertim pulli, gallinæ, ac res illæ, quæ a rusticis gestari solent sub eadem pœna præter animalia ipsa amittenda, quæ impune a Sacristis tollantur.

Cum armis cujuscumque generis nemini liceat Ecclesiam ingredi, nisi militi, vel qui ensem deferendi facultatem habeat. Arma itaque deponant, non tamen prope fores Ecclesiæ, nec in muris ejusdem.

Dum divina Officia persolvuntur, dum sacra concio, & doctrina Christiana peragitur, ludus pilæ, aliique hujusmodi ludi, in quibus strepitus, ac clamores fieri solent, prope Ecclesias non exerceantur sub pœna, quam decernimus unius aurei nummi. In iis locis, in quibus ex facultate nostra fiunt oblationes frumenti, vulgò = *Covi* = immoderati clamores omninò arceantur, sclopulique breviores ita explodantur, ut nemini sint periculo; Fœminæ demum incedant omninó a viris sejunctæ. Si secus fiat, ipsæ oblationes vetabuntur.

Frustra hæc omnia, aliaque edicuntur, nisi Vicarii Foranei, Parochi, Confessarii, & Concionatores sæpius, & enixo studio, prout injungimus, illa populo inculcent, & ut observentur, invigilent.

Itaque non omittant Parochi, dum Evangelium explicant, & Concionatores, dum divinum verbum annunciant, de Ecclesiarum veneratione verba seriò facere, & Populum de gravi culpæ reatu, & poenis, quibus Templorum contemptores a Deo puniuntur, sæpe sæpiùs commonefacere. Confessarii porrò iis omnibus, qui minori quam decet mode-

destia, ac reverentia ad Ecclesias accedunt, & coram se sistunt, Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ etiam denegent, vel saltem ad tempus differant. Hæc quod ad venerationem.

Juxta Sacrorum Canonum decreta, novas Ecclesias, Oratoria, Altaria, Sacristias, Turres, & alia hujusmodi erigere, vel erectas diruere, vel in alium transferre locum, sine Nostra speciali facultate, scriptis exaranda, nemini liceat. Prius enim Nobis cognoscendum est de necessitate, vel utilitate, de loci decentia, de congruentia Dotis, de forma structuræ. Immissio verò, & benedictio primi lapidis, vel a Nobis fiat, vel ab eo, cui facultatem impertiemur. Nemini autem in novis Ecclesiis, nisi prius consecratæ fuerint, vel saltem benedictæ, celebrare liceat.

Mundities, & decor modis omnibus est procurandus. Custodiantur itaque mundæ, & nitidae, ac pulvere, & sordibus expurgentur. Idem sit de sacrario, & atriis, deque sacra Turri, imo idem sancitum volumus de exterioribus Ecclesiae muris, quos nec sordescere, nec foedari decet, cum id loci Sanctitati, & majestati repugnet.

Rursus idem decernimus quod ad Ecclesiasticam Supellectilem, vasa, vestes, & ornamenta, quae pariter munda, & nitida asserventur. Cum opus fuerit, renoventur, si obsoleta, prophanentur, seu potiùs comburantur: Hæc ubi desunt, ii, ad quos spectat, refici curent, alias subtractis fructibus, aliisque canonicis remediis ad subeunda impendia compellemus: Demum quae pro Ecclesiarum nitore statuit per plura capita secunda Dioecesana Synodus cl. me. Alexandri

 Bor-

Borgia in *Append. ad Cap. VI. de celeb. Miss.* omnino servari mandamus.

Quodlibet Altare sit congruae dimensionis, ut nec magnitudine excedat, nec exiguitate laboret. Si consecratum non fuerit, sit in eo lapis sacer, isque tela opertus, ac ita insertus, ut tantillum promineat, atque a fronte mensae parum distet, quo commodius a Sacerdotibus celebrantibus discerni possint; ejusque sit magnitudinis, ut hostia simul, & Calix in eo commodè collocentur. Si tales non sint, vel reliquiarum sepulcro careant, vel demum ob fractum sepulcrum reliquiae ipsae abierint, prorsus amoveantur. In singulis item Altaribus adsit imago picta, quæ vel mysterium, vel Sanctum Cœlitem, cui est dicatum, aptè repraesentet. Adsit Crux, adsint duo ad minimum Candelabra, & adsint Tabellæ, in quibus nitidè imprimatur Sacrum Convivium, Psalmus Lavabo, & initium Evangelii S. Joannis. Non desint duo Pulvinaria, tres mundæ, & candidæ Mappæ congruæ longitudinis, ac pallium, sive antipendium cum Cruce in medio, nisi mensa ipsa in fronte sit picta, vel alio opere exornata.

Ne plura sint Altaria, quam ea, quæ sarta servari possunt, & supellectilibus ditari. Sacræ Poenitentiae Tribunalia in loco patenti ponantur, ac ita sint constructa, ut *in capite de Sacramento Pœnitentiæ* præscripsimus. Si fieri queat, & Ecclesiæ structura patiatur, omnia praedicta Tribunalia inter se similia exoptamus: Scabella, atque subsellia sint æqualis magnitudinis, et, nisi Nostrum intercedat Beneplacitum, ea ponere nefas sit.

Pæ

Pavimentum Ecclesiæ solidum sit, & æquale, parietes firmi, non rimosi, non turpes, tectum constans, nullumque intra ipsam Ecclesiam stillicidium admittens; fores non aperiantur, nisi ea hora, qua possunt jure Sacrificia celebrari, & vix dato signo Salutationis Angelicæ claudantur. Quascumque ergo functiones nocturno tempore prohibemus, & si quandoque a Nobis permissae fuerint, semper mulieres arceantur sub pœnis arbitrio Nostro inferendis, a quibus illam excommunicationis non excludemus.

Cuilibet Ecclesiae suum sit Sacrarium, & prope Altare majus, si fieri potest, cujus amplitudo amplitudini, & necessitati Ecclesiae respondeat. Ibi sacra Supellex, vasa Sacra, vestes, linteamina, & ornamenta Ecclesiae reponantur, & in armariis bene dispositis, et Clavi obsignatis, omni, prout superius praescripsimus, diligentia custodiantur. Praecipue verò adsint semper tabulae, in quibus Missarum onera, quae in ipsis Ecclesiis sunt adimplenda, adnotata cernantur juxta formam in S.Visitatione a Nobis praescriptam. Nullum construatur sepulcrum, nisi nostra auctoritas intercedat. Omnia vero sepulcra opere presso fiant, ut incedentibus impedimento non sint, et lapides calce undique cohaerente ita occludantur, ut nullus malus odor exhalet.

Turris, in qua adsunt campanae, semper clausa sit, et si quae sunt campanae non benedictae, quam primum benedicantur. Locus quoque *Cantoriæ*, sive in quo extant organa, sit semper clausus, nec tempore Sacrarum Functionum alicui permittatur, ut ibi consistant, exceptis iis, qui vel organa pulsant, vel cantui dant operam. Fœminis autem nul-

lo

lo prorsus pacto in illum ingredi liceat. Ecclesiarum demum claves Laicis non tradantur; Si de rusticis Ecclesiis agatur, alicui ex villicis probatissimo dentur custodiendæ. Ecclesiarum Rectores, qui secus egerint, pœnam dabunt pecuniariam.

Si quæ sunt Ecclesiæ quæ instauratione, & reparatione indigent, fructibus ad easdem spectantibus reparentur, servato modo, quem Tridentini Patres (a) præscripsere: Si quæ sint vero ædiculæ, quibus instaurandis fructuum copia non sit, antequam solo æquentur, Nos consulendi erimus.

Locali immunitate gaudent Ecclesiæ aliaque pia loca, quæ auctoritate Episcopi sunt erecta. Hac super re constitutiones omnino serventur, quas Gregorius XIV., Benedictus XIII., itemque Benedictus XIV. late præscripserunt.

CAPUT V.

De Reliquis, Imaginibus, ac Indulgentiis.

SAnctorum exuvias in veteri etiam Ecclesia fuisse in honore habitas, ex Sacra discimus Historia. Legimus enim Moysen ossa Patriarchæ Joseph ex Ægypto venerabundè transtulisse, ut apud Fidelem Populum quiescerent. Veterem verò imitata est nova Ecclesia ab ipso usque sui exordio. De corpore enim S. Prothomartris Stephani hæc in Apo-

(a) Sess. 21. de Reformat cap. 7.

Apostolorum Actis habentur, (*a*), *curaverunt Stephanum viri timorati;* quod profecto denotat, quanta illud veneratione prosequerentur. Nec est, qui ignoret, quæ fuerit erga Martyrum corpora priscorum Antistitum, omniumque Fidelium cura, atque devotio, unde S. Paulinus cecinit:

Ecce sub accensis altaribus ossa piorum
Regia purpureo marmore crusta tegit.

Hinc factum est, ut Sanctorum, Sanctarumque Lipsanis deberi cultum alma Mater Ecclesia edixerit; qui cultus Dulia dicitur, veneratio nempe propter supernaturalem excellentiam Sanctitatis eorum, atque adeo gloriæ, qua in Cœlo fruuntur. Id ex Sanctissimis Conciliorum Sanctionibus, Pontificumque Decretis eruimus, quorum vestigiis Nos inhærentes hæc quæ sequuntur, præscribenda judicavimus.

Nemo, etiamsi sit Regularis, eas Reliquias, quæ a Nobis recognitæ, & adprobatæ non fuerint, publicæ venerationi audeat exponere sub Excommunicationis pœna. Thecis porró, seu Vasculis decore ornatis includantur, sigilloque muniantur. Non in loculis, sive armariis, in quibus Sacræ vestes, aut vasa poni solent, adserventur, sed in distincta ædicula, sive armario, quod vel prope Aram majorem ad Evangelii latus, vel in alio conspicuo, & decoro Templi loco, vel in Sacrario esse debet, interius tamen, exteriusque exornatum, sera, & clavi munitum, ac Epigraphem habens: *Reliquiæ Sanctorum*.

A va-

(a) Cap. 8. 2.

A vasculis, ubi sunt reconditæ, non extrahantur, nec in aliis Thecis recludantur, nisi coram Nobis, vel Vicario Nostro Generali, aut Viro, quem peculiariter hac super re jam destinavimus. Vascula porrò ipsa, antequam in iis Reliquiæ ponantur, benedici volumus; nec postea omnium manibus contrectentur, sed eorum tantum, quibus fas est res Sacras tangere, & tractare.

Non ex qualibet caussa, non ob inanem curiositatem S. Reliquiæ ostendantur, multoque minus osculandae indistinctè, & passim tradantur. Volumus enim, ut, postquam fuerint in Altari publicæ venerationi expositæ, non amoveantur, ut populo dentur deosculandæ: Sed hoc fieri fas sit, vel quando exponuntur, vel quando reconduntur, ita tamen, ut nullus suboriatur tumultus, ac viri a fœminis sint separati sub pœnis arbitrio Nostro contra Rectores Ecclesiæ infligendis. Fas autem sit Magistratibus, ac piarum sodalitatum alumnis, sacro habitu indutis, illas, qnando accesserint, osculari.

Supervacaneum omnino foret differere, quantum Christianæ pietati fovendæ conducant Christi, Sanctorumque pictæ vel sculptæ imagines, cum exploratum omnino sit, ut Magnus Gregorius ajebat, (a), eas rudibus ita prodesse, ac Scriptura Sapientibus. Antiquissimum porro esse Sacrarum imaginum cultum, Etherodoxi Protestantes temere negarunt, asserentes, non nisi quarto cadente Sæculo in Ecclesia obtinuisse, quamvis contrarium aperte constet. Tertullianus (b) enim,

(a) Lib. 9. Epist. 9.
(b) Lib. de pud. cap. 7.

enim, qui tunc florebat, cum tertium inciperet sæculum, narrat, Christum Jesum sub imagine boni Pastoris super Vasa Sacra repræsentari consuevisse. Eusebius verò Cæsareensis Episcopus testatus est, se vidisse Salvatoris, & Sanctorum Petri, & Pauli imagines tempore nascentis Ecclesiæ formatas (a). Quid plura S. Basilius, qui certe Novatoribus postremi temporis instructior erat, affirmavit, (b) Sacrarum imaginum cultum ex Apostolica traditione derivare. Qua super re, majori sanè in pretio testimonium quarti Sæculi, quam decimi sexti habendum est.

Hunc verò cultum impii quidam, & perditi Homines de medio tollere conati sunt, quod tamen eorum improbitas consequi non potuit. Licet enim res Sanctissima saepius in gravi discrimine versata sit, damnatis tamen in secunda Nicaena Synodo oppugnatoribus firma remansit. Verum cum postremis temporibus Novatores bellum renovare ausi essent, ut debito cultu, si potuisset fieri, Sacrae Imagines fraudarentur, illum Tridentina Œcumenica Synodus retinendum esse sancivit.

Orthodoxam itaque ejus Doctrinam ad tollendos errores, quibus hac in re vulgi simplicitas obnoxia est, Parochi frequenter exponant, doceantque, Sacras Imagines coli, atque honorari propter excellentiam Prototypi, in quem cultus ille refertur, cui cum Deo in Coelis regnanti preces, & obsequia immediate exhibentur.

Decr. Syn. P. I. E Si

(a) Hist. Eccl. Lib. 7. cap. 18.
(b) Epist. 360. ad Julian.

Si quae miraculosa operatio ad imaginem aliquam facta perhibeatur, rem ad Nos Parochi deferant, omni concursu interim prohibito, donec, quid in Domino agendum, statuamus.

Nulla S. Imago, aut Tabula picta, in Altari, vel alia Templi parte collocetur, nisi prius a Nobis, vel Vicario Nostro Generali fuerit recognita, & adprobata. Si quae autem ex jam expositis vel ineptae, vel non piè pictae sint, vel carie consumptae, quamprimum emendentur, corrigantur, vel respective auferantur, novis, & decentibus subrogatis.

In sacro illo apparatu, qui feria V. majoris hebdomadae ad recolendam mortis, & sepulturae Dominicae memoriam fit, caveat quisque, etiamsi sit Regularis, ne incongruas, & a mysterio prorsus alienas imagines exponat, prout inferius dicemus. Si secus egerit, poenas arbitrio Nostro erit daturus.

Nunc de Indulgentiis.

Copiosa Redemptione peracta, non per hircorum sanguinem, aut vitulorum, (*a*) sed per proprium Sanguinem Dominus, ac Redemptor Noster Jesus Christus, ad Gloriam suam rediturus, immensum superabundantium meritorum suorum Thesaurum suae reliquit Ecclesiae, quo qui bene utuntur, amicitiae Dei participes fiant. Quem quidem Thesaurum non in agro absconditum, sed per D. Petrum Coeli Clavigerum, ejusque Legitimos Successores Romanos Pontifices iis verbis: *Quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Coelis:* dispensandum commisit. Thesaurus autem iste per Indulgen-

(a) Ad Haebr.

gentias dispensatur. Est autem Indulgentia remissio pœnæ temporalis peccatis debitæ quod ad culpam remissis, per Applicationem satisfactionum Christi, ac etiam Beatissimæ Virginis, omniumque Sanctorum. Est vero Fidei Dogma, potestatem in Ecclesia extare Indulgentias concedendi, earumque usum fidelibus maximè salutarem esse, idque Sacrosancta Synodus Tridentina definivit. (*a*) Dum concessæ Indulgentiæ imminet dies, Parochorum erit, ea explicare opera, quæ ad eam requiruntur consequendam, & de ejusdem fructu differere.

Si quæ sit Ecclesia, quæ nullo potiatur Indulgentiarum Indulto, volumus, ut illius Rector ipsas Indulgentias a S. Sede Apostolica, saltem pro die, qui S. Titulari est dicatus, opportune obtineat, & lapso tempore, ad quod fuerint concessæ, renovari curet. Sed obtentas Indulgentias recognoscere, cum ad Episcopum spectet, præcipimus idcircò quibuscumque etiam Regularibus, ne sine Nostra facultate audeant publicare.

Apostolicis Indulgentiarum literis haud supponantur capsæ ad colligendam eleemosynam destinatæ, ne quæstus, aut avaritiæ suspicio suboriatur. Confessarii vero caveant, ne Indulgentiarum tempore leves pœnitentias pro peccatis gravibus imponant. Id enim agentes, magno pœnitentium nocumento hallucinarentur. Quo major iis imponitur pœnitentia, eo fiunt satisfactioni viciniores: *Accipiant prudentes Christiani Pontificias Indulgentias, ut simul etiam studeant,*

 di-

(a) Sess. 25.

dignos pœnitentiæ fructus facere, ac pro suis peccatis Deo satisfacere (a).

Cum in brevibus Indulgentiarum apponi soleat clausula, nempe: *Ut si alias dictam Ecclesiam qualibet anni die visitantibus aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad tempus nondum elapsum duratura concessa fuerit, præsentes nullæ sint*: ne in errorem, vel minus rectam interpretationem quis traducatur, declarationis Apostolicum Decretum recensemus in *Append. num. VII.*

CAPUT VI.

De Supplicationibus.

Supplicationes, quæ communiori vocabulo Processiones dicuntur, vetustissimæ profecto in Ecclesia sunt. Earum enim origo repeti non incongrue potest ab eo tempore, quo Episcopis mos erat non solum in Cathedrali Templo, sed in aliis etiam Sacrum facere, præsertim vero ad Martyrum sepulcra, cum eorum festi dies celebrarentur. Ibant enim Clero, & Populo religiose comitante, atque hujusmodi solemnia *Stationes* nuncupabant. Celeberrima fuit illa supplicatio, quam Theodoretus refert, fuisse habitam Anno Christi tercentesimo sexagesimo secundo, cum S. Babilæ Martyris Re-

(a) Bellar. de Indulg. lib. 2. cap. 12.

Reliquiæ a Suburbio Daphnitico ad Antiochenum Templum translata fuerunt. Hinc factum est, ut deinceps aliæ fuerint ad divinam iram avertendam, ac misericordiam implorandam institutæ, præsertim cum publicæ ingruerent calamitates.

Sanctus Gregorius Magnus auctor fuit in Urbe solemnis illius supplicationis, quæ postmodum generalis evasit ad diem 25. Aprilis, & Litaniæ Majores nuncupantur (a).

Triduanæ vero ante Ascensionem Rogationes, quas S. Mamertus in sua instituerat Diœcesi, prius a tota Gallia, deinde ab universa Ecclesia receptæ fuerunt.

Omnium vero præstantissima est Processio Sacratissimi Corporis Christi, quam in ejusdem die Festo ab Urbano IV. instituto Joannes XXII. pro solemniori celebritate peragi ubique mandavit. Æquum enim visum fuit Summis illis Pontificibus, ut immensum Divinæ largitatis beneficium, quod Christiano Populo inæstimabilem dignitatem confert, statuta die peculiari obsequio, ac religione recoleretur. Ab hac ortum exinde habuit ea in singulos menses Processio, quæ in Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus Ecclesiis ad memoriam tanti Sacramenti fieri solet.

Quæ huc usque de supplicationibus dicta sunt, si Parochi aliquando Populo plenius exponerent, & quam ob causam fuerunt institutæ, non tam confuse, non tam irreligiose, ut plerumque fieri videmus, frequentarentur.

Jam vero cum Nos in ea inciderimus tempora, quibus Christiana Respublica non leves patitur angustias, & propterea

(a) Martene Tom. V. de Divin. Offic. cap. 24.

rea hujusmodi supplicationibus exorandus sit Deus, ut det pacem diebus nostris, ideo ut ea, qua par est, modestia, pietate, & religione peragantur, hæc statuenda decernimus.

Turbæ, & contentiones, quæ oriri aliquando solent, quod alius alium in Processionibus præcedere velit, ab Ecclesiasticis præsertim hominibus ne suscitentur, quibus a Domino præceptum est, *ut qui major est, fiat sicut minor, & qui præcessor tamquam ministrator;* Ne quis ergo a veteri consuetudine recedat; sed si quid novi emergat, nostrum erit satagere, ut exortae lites pacifice componantur; rixarum vero auctores a Processionibus arcebimus, donec controversiis omnibus finis imponatur.

Nullae instituantur novae supplicationes absque Beneplacito Nostro. Peragi autem nocturno tempore, sive protrahi post horam vigesimam quartam omnino prohibemus, cum magis oriantur scandala, quam pietas augeatur.

Sejunctae a Viris incedant in ipsis Processionibus Mulieres. Quod ut ordinate fiat, volumus, ut cum consilio Parochorum tres, aut quatuor ex probioribus, & gravioribus Viris, qui Sodalitatibus sint adscripti, eligantur, in id incumbentes, ut Mulieres ipsae nedum a Viris sint separatae, sed ut vel binae, vel quatuor debito, & aequali servato intervallo, cum gravitate, & Devotione SS. Rosarium recitantes, progrediantur.

Viae, per quas Processiones duci contigerit, a sordibus, immunditiis, ac impedimentis quibuscumque per Vicinos expurgentur, & dum ibi Processio progreditur, omnes Artificum officinae claudantur, ipsique Artifices etiam ferialibus die-

diebus ab eorum exercitiis abſtineant, ſupplicatione durante.

Verum impenſiori ſtudio nedum mundatae, ſed etiam, ubi opus fuerit, & fieri poſſit, ſint ſuperius contectae Viae, per quas Sacramentum in ſolemni ipſa Proceſſione Corporis Chriſti erit deferendum, Parietes vero Domorum aulaeis, & piis imaginibus exornentur. Hoc onus ſpectet ad eorumdem Domorum incolas pro latitudine ſuae Ædis: Quod ſi quis agere negligat, poenam juliorum quinque ſubibit.

Conſuetis generalibus Proceſſionibus, & iis, quae a Nobis ob aliquam publicam cauſſam indicentur, omnes, qui de jure, vel conſuetudine intereſſe debent, omnino interveniant ſub pœnis jam indictis, aliiſque arbitrio Noſtro infligendis.

Si in proceſſionibus Signum SS. Crucis vel alia inſignis Reliquia deferatur, omnes aperto capite incedant. Si alia geſtetur Reliquia, tam qui illam defert, quam Laici aperto pariter capite, ſed Clerici Bireto tecti procedant.

PARS

PARS SECUNDA.

CAPUT I.

De Sacramentis in Genere, eorumque administratione.

Nigenitus Dei Filius, ipsa scilicet Divina Sapientia, Christus Dominus de Cœlo descendens, & in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, ædificavit sibi Domum, Ecclesiam suam, in eaque septem columnas excidit. Porro istæ columnæ Sacramenta sunt, per quæ, ut Tridentina Synodus ait, omnis vera justitia, vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur. (a)

Nos itaque de iis tractaturi, in primis Parochos omnes, cœterosque Ministros monemus, & obsecramus, ut summo studio, ac diligentia illorum vim, & utilitatem Populo frequenter exponant; quod sane facile, ac laudabiliter præstabunt, si Cathechismi Romani methodum sequentes, quæ necessaria, & faciliora sunt, edocebunt, iis prætermissis, quæ rudibus minus pervia, & forsitan redundantia videantur.

Qui ad Sacramenta ministranda assumuntur, ritus omnes, & Coe-

(a) Sess. 7. in Proemio ad Decret. de Sacram.

& Cærimonias apprime calleant, oportet. Hinc volumus, ut Parochi, ceterique Ministri persæpe legant, ac præ oculis habeant Rituale Romanum, quo omnino utantur, ut rite se gerant, quæque in variis casibus sint cavenda, optime sciant. Unusquisque ergo Parochus ipsum habeat Rituale; quo si caruerit, a suo quemque munere suspendimus, donec illud sibi comparaverit.

Ab omni porro lethalis peccati labe sint mundi, qui Sacramenta fidelibus Populis sunt ministraturi: *Quamvis enim Sacramenta divinam quidem virtutem, quae illis inest, nunquam amittant, tamen impure ea ministrantibus æternam mortem afferunt* (a): Nonnisi vero quam in Ecclesia (extremam unctionem si excipias) Sacramenta confici debent, quod & nos omnino jubemus, nisi gravis aliqua, urgensque necessitas, a Nobis tamen cognoscenda, aliter postulare videatur. Inducto tamen mori indulgemus, ut Pœnitentiæ quoque Sacramentum, viris tantum, a Parochis, & Religiosis viris in suis ædibus administrari possit; qua facultate reliqui Sacerdotes sæculares minime uti se posse sciant, nisi a Nobis ad id speciali venia impetrata.

Ministrentur vero, adhibita semper talari veste, superpelliceo, & Stola. At quoniam: *omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & persona Ministri conficientis Sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia* (b): necesse est, ut de iis, quæ ad cujuscumque Sacramenti aptam ma-

(a) S. Carolus Borr. in Instruct.
(b) Eug. IV. in Decret. post Concil. Florent.

teriam, & formam ſpectant, apprime quoque informentur, ne invaliditatis, aut indecentiæ periculum unquam adſit.

Ab omni Simoniæ labe, & omni quoque avaritiæ ſuſpicione in Sacramentorum adminiſtratione ſint alieni, neque directe, vel indirecte aliquid petant, cum ſcriptum ſit: *Gratis accepiſtis, gratis date* (*a*). Si quid ſponte, ac libere pro loci conſuetudine Fidelium pietas obtulerit, modeſte recipi non vetamus. Sed ſit Miniſter eodem animo comparatus ad ſuum munus obeundum, etiamſi nihil ei tribuatur, & nihil exinde conſequi speret. Nihil tamen, etiamſi ſponte offeratur, recipi omnino volumus, ubi de Sacramento Poenitentiae agatur. Imo cum S. Carolo Borromeo ſingulis Confeſſariis mandamus, ut nemo: *non modo non petat, ſed nec velle ſe habere ſignificet pecuniam, aliamque rem pro ſuſcepti in Confeſſione laboris munere, imo verbis, vel potius factis, ab his omnibus abhorrere demonſtret* (*b*): Si pro poenitentia celebratio Miſſarum injungatur a Confeſſario, *ſibi, aut Eccleſiæ ſuę, aut Monaſterio dicendas non addicat*, ceu idem S. Archiepiſcopus monet.

Sicuti ex Tridentini Concilii lege non ſolum Epiſcopi, ſed etiam Parochi tenentur Sacramentorum numerum, naturam, & uſum pro ſuſcipientium captu vernacula, ſi opus ſit, lingua, & frequenter explicare, ita monemus, ut hoc agere non omittant Parochi, explicentque Sacramentorum dignitatem, & gratiam, quam conferunt, & quæ præparatio ſit neceſſaria ad illa ſuſcipienda, quæ reverentia, & re-

li-

(a) Matt. 10. 8.
(b) S. Carol. inſtruct. ad Conf. part. 4., act. Eccleſ. Mediol.

ligio, quibus ad illa debent accedere, viri nimirum abjectis armis, & mulieres capite velato, non indecenter indutæ, nec pectore nudato, sed modeste ornatæ.

Non difficiles, non morosi, non segnes sint ii, qui ad ministranda Sacramenta vocantur. Potissimum vero Parochi, qui quacumque adeantur hora, omnino præsto sint. Imo Populum frequenter moneant, ut, cum opus fuerit, se quamprimum, & libere accersat, nulla habita, aut temporis, aut loci distantis, aut alicujus cujuscumque incommodi ratione. Si eorumdem desidia quempiam absque Sacramentis, & animæ in agone versantis commendatione decedere contigerit, sciant se reos esse gravissimi patrati sceleris, & gravibus etiam poenis arbitrio Nostro pro modo culpæ puniendos.

Ceteri quoque Sacerdotes faciles sint, & prompte ad ipsa Sacramenta ministranda, præsertim ubi res est de Sacramento Poenitentiæ. Vel sint Pauperes, vel infimo loco nati, vel eos se esse dicant, qui jam ab anno ad Sacramenta non accesserint, omnes excipiant, ac humane audiant. Quod si eos tunc temporis audire non liceat, blande dimittant, tempusque adsignent, quo revertantur. Scimus sane hac in re nonnullos peccare Presbyteros, qui hujusmodi conditionis viros audire nolunt, imo aliquando aspere repellunt, & ad Parochos remittunt. Scimus etiam, alios esse Presbyteros, qui, quando sibi placet, & non quando opus est, & ratio postulet, ad Confessiones audiendas incumbunt. Hos autem, & illos, si inposterum defecerint, etiamsi sint Regulares, facultate, quam ipsis dedimus Confessiones audiendi, illico privabimus.

Regulares demum meminerint, se neque Matrimonii Sacramentum, neque Sacrum Viaticum, neque extremam Unctionem absque Parochorum facultate Fidelibus ministrare posse. Si secus fecerint, poenam contrahent excommunicationis latæ sententiae, quae Apostolicae Sedi est reservata.

CAPUT II.

De Sacramento Baptismi.

Primum in Sacramentorum serie tenet locum Baptisma, quippe quod aliorum omnium fundamentum est; nemo enim Sacramenta ulla percipere potest, qui prius non fuerit baptizatus. Quare Nos de omnibus verba facturi, ab hoc exordium ducere necessarium putavimus. Institutum fuit autem a Christo Domino, cum Discipulis dixit: *Euntes docete omnes Gentes, Baptizantes eas in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, (a) ac per illud originali labe deleta, Christiani efficimur, & Dei Filii, & Ecclesiæ, qui ante eramus Filii iræ, Dæmonisque mancipia.

Porro Baptisma generatim sumptum lotionem denotat, seu immersionem. Apud vero omnes Populos ablutio, aut immersio corporis, purificationis animæ Symbolum fuit. Sed solius Christi erat, tantam vim huic cærimoniæ conferre, ut per

(a) S. Matth. cap. 28. v. 19.

per eam peccata vere expiarentur. Quanta autem sit hujusce Sacramenti necessitas, idem ipse Christus nos docuit, dicendo: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei* (a).

Itaque Parochi Populum identidem alloquantur de tam grandi Divinæ Misericordiæ opere erga humanum genus, quo si caruisset, de æterna ejusdem salute actum foret, & propterea curent attente, ut quam citissime ad Ecclesiam pro suscipiendo Baptismate infantes deferantur, nunquam vero ultra octo dies protrahi sinant, cum semper in mora periculum sit.

Parentes a Parochis moneantur, ne baptizandis Infantibus imponantur prophana, bene vero Sanctorum nomina, quorum exemplis ad pie vivendum excitentur, & patrocinio protegantur. Puerperis etiam laudabilem insinuent consuetudinem, quam exemplo suo Beatissima Virgo consecravit, nec erubescant, cum primum e Domo exierint, se ad Ecclesiam conferre, gratias Deo pro suscepta Prole acturæ, & a Parocho benedicendæ.

Præcipue vero Adultos enixe hortentur, ut ad recolendam accepti Baptismi memoriam, in quo Diabolo, ejusque pompis abrenunciantes, Christo Fidem, nomenque dederunt, anniversarium illius diem rite confessi, sacraque Communione refecti, orationibus itidem, piisque operibus intenti, fideliter, ac devote singulis annis celebrent.

Nulli liceat Baptismum in privatis Sacellis, sed dumtaxat in Parochiali Ecclesia, & in ipso Fonte Baptismali conferre, ni-

(a) Joan. cap. 3. v. 5.

nisi aliter ex imminentis mortis periculo faciendum sit. Secus qui fecerit, aut facienti non obstiterit, pœnis ad arbitrium mulctabitur.

Dum deferuntur pueri, puellæve ad ipsam Ecclesiam Baptizandi caussa, si longum sit iter, prout contingit in familiis, quæ degunt in agris, doceant Animarum Curatores suos Parochianos, ut vasculum aquæ secum ferant eo consilio, ut si per viam aliquod ingruat mortis periculum, in via ipsa possit Infanti Baptisma conferri.

Quia vero cuicumque, ingruenti mortis periculo, ac etiam fœminæ fas est baptizare, ideo curent Parochi, ut præcipue Obstetrices materiam, & formam hujus Sacramenti bene calleant. Nullæ tamen ad obstetriciam artem admittantur Mulieres, nisi quæ a Medicæ, & Chirurgicæ artis Professoribus fuerint adprobatæ, quasque postea Parochi, & Vicarii Foranei idoneas renunciaverint.

Dolendum sane est, maximeque deplorandum, eos esse tam perversæ indolis viros, ut hoc Sacramento lenocinii exercendi caussa damnatissime utantur. Etenim fit aliquando, ut Parentes in susceptores sui Infantis eum virum, eamque fœminam seligant, inter quos prophani mutuo vigent amores, quique propterea occasionem sibi parant iisdem amoribus eo licentius operam dandi. Hujusmodi rem, si cognitam habeant Parochi, a susceptorum munere eos repellant, remque ipsam Nobis deferant, ut gravi pœna pecuniaria, qui tanti criminis fuerint rei, afficiamus.

Quod si domi baptizatus convaluerit, ad Ecclesiam pro consuetis cærimoniis deferatur. Ritus enim, & cærimoniæ

sunt

ſunt veluti imagines effectuum cujuslibet Sacramenti, & quamvis non abſolute neceſſariæ ſunt, tamen apprime utiles. Quod ad Patrinos, ea ſerventur adamuſſim, quæ præſcribuntur in Rituali Romano, nec ceſſent ipſi Parochi eos admonere de Spirituali cognatione, quam contrahunt, & de gravi obligatione, qua erga eos, quos de fonte ſuſcipiunt, ſtricte ligantur.

Iiſdem Parochis etiam injungimus, ut ſæpe, & acriter moneant Parentes, & Nutrices, ut Infantes non in proprio lecto, ſed in cunis ſaltem per annum retineant, ut omnis ſuffocationis periculum evitetur. Secus qui fecerint, culpam incurrant, cujus abſolutio Nobis reſervata eſt.

Quemadmodum cautum eſt, Baptiſmo collato, teneri Parochum baptizati Parentum, & Suſceptorum nomina, & cognomina in Codicem referre, ita hæc non per numerales notas, ſed omnino per literas deſcribat. Caveat porro, ne, ſi Infans ſit ſpurius, Patris nomen deſcribat, niſi legitime conſtiterit, ſed Matris tantum, & Suſceptorum nomina recenſeat. Utriuſque autem Parentis cognomen omittatur, ſi ex Adulterio, vel ex inceſtu infantem natum eſſe deprehenderit, ſub pœnis arbitrio Noſtro infligendis.

Singulae Parochiae habeant fontes, in quibus Baptiſmalis aqua quotannis ſolemni ritu in die Sabbati Sancti benedicenda ſervetur. Fons debet eſſe lapideus, intus diviſus, viſibili Eccleſiae parte collocatus, columnis ſeptus, & peſſulo bene munitus. Vaſcula, quibus olea inſunt, ſint decenter elaborata.

Reliqua ad hoc Sacramentum ſpectantia, quae in Synodis

dis praecedentibus fuerunt ſtatuta, iterum ſtatuimus, & ſervari mandamus.

CAPUT III.

De Sacramento Confirmationis.

CUm Nobis Baptiſmate jam renatis contra infenſiſſimos, et acerrimos Animarum noſtrarum hoſtes dimicandum ſit toto vitae curſu, et colluctatio noſtra non ſit (ut ait Apoſtolus) adverſus carnem, et ſanguinem, ſed adverſus Rectores tenebrarum, idcirco opus eſt, ut roboremur ad pugnam, & Dei gratia opitulante, idonei reddamur ad victoriam. Fidelibus itaque ſuis Chriſtus Dominus Sacramentum Confirmationis benignè donavit, cujus virtute, ſi digne recipiant, id aſſequi valeant.

Quamvis autem hoc Sacramentum præcipue videretur neceſſarium perſecutionum tempore, cum Chriſtianos omnes oportebat ſemper eſſe paratos ad Sanguinem pro Chriſti Fide effundendum, non tamen ejuſdem ceſſavit neceſſitas Gentilium furore ceſſante. Fides etenim modo ab Hæreticis, modo ab Incredulis fuit impetita, & utinam noſtris temporibus impiiſſime ab efferatis ejuſdem hoſtibus non impeteretur!

Dum illud erimus miniſtraturi, ſicut antea de hac re, vel

vel ex Edicto, vel alio modo certiores faciemus Parochos, ita hi per aliquot dies antea in Parochialibus Ecclesiis Populis denuncient, simulque naturam, vim, & dignitatem ejusdem Sacramenti explicent.

Per impositionem manuum, & Sacri unctionem unguenti Confirmatio confertur ab Episcopis, qui Ordinarii ejusdem Ministri sunt. Sed cum inter Theologos disputetur, quænam hujusce Sacramenti materia sit, num videlicet impositio manuum, an potius frontis unctio, & acceptior sententia sit, ambas hasce actiones necessarias esse ad integritatem; idcirco omnis est adhibenda diligentia, ut quisque Confirmandus de utraque plene participet. Contigisse enim aliquando novimus, præsertim cum magnus esset Confirmandorum numerus, nonnullos fuisse quidem perunctos, sed manuum impositione caruisse; ea enim a Pontifice jam peracta, Ecclesiam ingressi sunt, & ceteris Confirmandis adjuncti ab eo fuerunt signati. Itaque, ut periculum vitetur nullitatis, curent Parochi, ut incœpto Confirmationis ritu, nullus Ecclesiam ingrediatur nisi eo completo. Resumetur enim pro iis, qui remanebunt Confirmandi. Advertant insuper, ut dispositis ordinate subselliis mares a fœminis dividantur, omnisque vitetur confusio, quæ ut plurimum oriri solet, quod sæpe Nos in Sacris Visitationibus experti sumus.

Pueros septennio minores, & rationis usu carentes non erimus confirmaturi, nec illos, qui saltem prima Fidei rudimenta non tenent; ideoque abstineant Parochi, ne pueris septennio ipso minoribus, aut incapacibus, sive prima Fidei rudimenta non callentibus consuetas schedulas consignent sub pœnis Nostro arbitrio infligendis.

Cum autem Sacramentum Confirmationis eam gratiam conferat, quæ cum gravi culpa confiftere nequit, Parochorum erit adultos monere, ne facrilege accedentes Spiritum Sanctum contriftent, (*a*) in quo fignandi funt, fed prius ab omni mortali labe fe ftudeant purgare.

Circa Patrinos eadem advertenda funt, que diximus, cum de Baptifmo loqueremur.

Demum, quæ in proxime præcedenti Synodo, præter hæc noftra fancita reperiuntur, omnimodo fervari volumus, & mandamus.

CAPUT IV.

De SS. Eucbariftiæ Sacramento, & de Sacrificio Miffæ

MIraculorum Chrifti maximum Euchariftiam effe Doctor Angelicus affirmavit. (*opufc.* 57.). Ac merito quidem cum ex ea, veluti ex perenni fonte omnis plenitudo gratiæ derivetur, fitque divinæ erga nos Charitatis perenne teftimonium. Si enim Ifraelitico populo ab Ægypti fervitute ad promiffionis terram peregrinanti Manna donavit, Nobis a Dæmonis captivitate folutis, ad cæleftem Patriam itinerantibus præftantiorem annonam, Se Ipfum videlicet fub Panis, & Vini fpeciebus elargitus eft. Quid plura? Omnipotens ille cum fit, plus tamen dare non potuit, cum fit fa-

(a) Ad Ephes. 4. 30.

ſapientiſſimus plus dare neſcivit, & cum ſi ditiſſimus, plus dare non habuit.

Sicut ergo dignitate, & myſteriorum copia hoc Sacramentum ceteris longe antecellit, ita præ ceteris decentiſſime cuſtodiri, ſanctiſſime ſumi, religioſiſſime coli debere nemo non videt.

Quod ad cuſtodiam, ſi quæ a Prædeceſſoribus Noſtris præſcripta fuere, adamuſſim ſervarentur, nihil Nobis decernendum foret. Sed non ubique locorum Diœceſis Noſtræ, dum eam viſitaremus, ſervari diligenter, ut par erat, invenimus, ac propterea quædam repetere, quædam vero addere Synodali lege ducimus opportunum.

Sacrarium, ſive (ut communiori utamur vocabulo) Tabernaculum, quod in majori Eccleſiæ Ara, vel in alia nobiliori parte collocari debet ad auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ſervandum, ſi (ut in votis eſſet) magnifice conſtructum non in omnibus Eccleſiis haberi poteſt, ſaltem ſit ex ligno exterius deaurato, elegantioriſque ſtructuræ, atque intus panno ſerico, albi coloris undequaque conveſtitum. Conopeo decenti cooperiatur, cujus color temporis rationi conveniat. Altari vero ita firmiter inhæreat ut facile dimoveri non poſſit. Oſtiolum autem non leviſſimis, (ut in quibuſdam locis conſpeximus) ſed fortibus aptetur cardinibus, atque firmiſſima ſera claudatur, cujus argentea ſit clavis, ab ipſo Parocho quam diligentiſſime cuſtodienda.

Porro Sacramentum in Tabernaculo ſervandum Pixis argentea contineat interius auro illita, ejuſque operculum Cruce ſit inſignitum. Conopeo ſerico circumtegatur, &

in Planitie Tabernaculi super Corporali mundo collocetur. Duas ad minus Pixides habeant singulæ Parochiales Ecclesiæ, quarum altera in Tabernaculo maneat, in qua semper extent aliquot Particulæ Consecratæ, Hyeme bis in mense, Æstate vero quavis hebdomada renovandæ, altera ad deferendam infirmis Euchariſtiam inserviat. In signum autem ardentis amoris nostri una saltem decentissima Lampas ante Tabernaculum perpetuo colluceat, vigilentque Ecclesiarum custodes, ne unquam extincta eorum negligentia remaneat; alias pecuniaria pœna arbitrio Nostro punientur.

Curent itaque Parochi, ut omnia hæc quæ ad Sacramenti omnium excellentissimi custodiam sancivimus, adamussim observentur, & sciant Nos eorum culpæ adscripturos, quidquid in re tanti momenti, vel negligi, vel indecenter fieri cognoverimus, ipsos vero non Nostram solum, sed (quod tremendum est) divinam indignationem subituros.

Ulterius non cessent Populis frequenter demonstrare, qua charitate incensus Redemptor noster se ipsum nobis in edulium dare non dubitavit, ut quemadmodum ex cibo inflictum fuit homini lethale vulnus, ita ex cibo medicina ægro illi præberetur; de primo enim cibo scriptum est: *quacumque die comederis, morte morieris*: de altero autem: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*. Verum ne remedium in venenum convertatur, ostendant, opus esse, ut unus quisque se probet, sordes animæ abluat, & nuptiali veste indutus, nempe integritate, & charitate ad Eucharisticam Mensam accedat.

Pudet sane ita Fidelium fervorem refrigniſſe, ut eorum plu-

plures non hortari solum, sed acribus stimulis incitare, imo cogere oporteat, cum primi Fideles in communione fractionis Panis unanimiter perseverarent; hinc orta lex est de Paschali Communione, de qua quid Ecclesia praeceperit a tempore usque Innocenti III. in Lateranensi Concilio, cuilibet ita notum est, ut repetere supervacaneum arbitremur.

Verum Parochorum erit, omni industria, omnique diligentia curare, ut hoc praeceptum ab omnibus observetur, fraudibusque via praecidatur. Si quos propriae salutis immemores, desides agnoscant, & pervicaces videant in vitiorum coeno volutari, arguant, obsecrent, increpent in omni patientia, ut per sinceram Poenitentiam sese ad Paschalis Convivii participationem rite disponant; Quod si irritus cadat omnis labor, certiores Nos faciant, ut contra illos munere Nostro juxta Ecclesiae praescripta fungamur.

Ceterum communicantes tantummodo in Paschate, ac toto anni tempore a Communione abstinentes, ad frequentiorem tanti Sacramenti participationem Parochi paterna voce suadeant, ita ut semel saltem in mense, & in solemnioribus festivitatibus Angelorum Pane reficiantur.

Capitulares, Presbyteri, Clericique etiam primae Tonsurae juxta vetustissimum Ecclesiae ritum feria quinta majoris hebdomadae manu Archiepiscopi in Metropolitana Ecclesia, de manu vero celebrantis in Parochialibus Dioecesis Eucharistiam sument. Illi sane Superpelliceo, & Stola alba, Clerici autem solo Superpelliceo induti ad Altare accedant.

Adolescentuli, qui prima vice ad Eucharistiam sumendam admitti postulabunt, prius a Parochis luculenter instruantur

de

de vi, ac ratione hujus Sacramenti, & de animæ, corporisque dispositionibus necessariis, ut cum plene fuerint edocti, detur illis ad sacram Synaxim accessus.

Cum autem Christus ipse Dominus aperte dixerit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: consequitur Eucharistiam tum omnibus, tum maxime iis necessariam esse, qui ad æternitatem, Deo sic disponente, jam properant. Quapropter Animarum Rectores, omni diligentia curare debent, ne infirmi in mortis periculo constituti cælesti hoc pabulo careant, eoque non recreati decedant. Superpelliceo semper, ac Stola induantur, quibus Pluviale super imponant, si in Civitate, vel in oppidis sint, cum Sanctissimam Eucharistiam ad infirmos afferre debent. Porro præferantur faces, dum ad ipsos Infirmos defertur, eaque omnia serventur, quæ juxta loci temporisque rationem a proxime præcedenti Synodo præscripta fuere, ut, quantum fieri possit, Sacramenti hujus dignitati consultum sit.

Addimus propterea, ut si SS. Sacramenti sodalitatis alumni, qui juxta ipsam Synodum ad associandum idem Sacramentum per singulos Menses sorte ducuntur, huic associationi, vel per se, vel per Substitutos non interfuerint, pœna obulorum quinque pro qualibet vice plectantur: quæ quidem pœna a Vicariis Foraneis omnino exigatur, & inter Confratres, qui adfuerint, distribuatur. Quod si fuerint semel, & iterum contumaces, ab Albo Societatis, soluta tamen prius pœna, deleantur.

Cupimus autem, ut Clerici, quando a Studiis, atque sibi

bi indictis Congregationibus vacant, quotquot ſunt in Paraecia, huic aſſociationi interſint, & ſuperpelliceis induti Parochum comitentur, atque pro ratione ordinis ſui miniſtrent. Illis, qui fuerint negligentes, denegetur a Parochis teſtimonium de præſtito Eccleſiæ ſervitio, cum ad altiores ordines promoveri poſtulabunt.

Sodalitatis Corporis Chriſti alumni diligens præſtare ſervitium non omittant, cum de Proceſſionibus, aut publicis expoſitionibus agitur, ut majori, quo fieri poterit, cultu atque pietate habeantur. Porro quoties Hoſtia Sacra, vel circumferri, vel exponi oporteat, in Oſtenſorio Argenteo collocetur, poſtridie ab aliquo Sacerdote abſumenda. Nulla autem extra ordinem expoſitio fiat abſque facultate Noſtra ſcripto concedenda, & generatim publice adoranda non exponatur, niſi ſaltem viginti duo Cerei circum accenſi colluceant. In Eccleſiis vero campeſtribus, quæ vel ob earum anguſtiam, vel paupertatem, concurrentium frequentiæ non idoneæ, aut indecentes cenſeri poſſunt, nuſquam (prout alias factum fuiſſe novimus) exponi concedemus.

In iis Eccleſiis, quibus fit ex facultate Noſtra publica Auguſtiſſimi Sacramenti expoſitio in forma quadraginta horarum, etiamſi agatur de Eccleſiis Regularium, volumus, ut coram eodem Ven. Sacramento, ceu, jam præſcripſimus pro hac Civitate in Edicto quod dat Appendix *num. VIII.*, duo Sacerdotes nudato penitus Capite, ac Superpelliceo, Stolaque induti, aut ſaltem unus, aut Diaconus, ubi aliter fieri nequeat, procumbant orantes, & ſemper adſiſtant viciſſim, firmis interim ceteris legibus, quæ hac in re jam obſervantur.

tur. Cautum autem volumus, ut tum Pluviali, tum Albà sint induti, qui Eucharisticam benedictionem impertiuntur.

Custodia in formam Sepulcri pro Eucharistia Feria V. majoris hebdomadæ reponenda, decentibus ornamentis, cereis lampadibusque excolatur; Scenicis figuris, aliquando risu, aliquando contemptu dignis omnino remotis.

Hactenus, quæ sancivimus, Eucharistiam, qua Sacramentum est, respexerunt, nunc vero eamdem, tamquam Sacrificium spectabimus in iis, quæ remanent præscribenda.

Nulla profecto tam venerabilis, tamque sancta res est, de qua majori, vel pari diligentia Nobis tractandum sit. Siquidem Sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech illud instituit, cum Discipulis in ultima cœna panem, vinumque præbens eis dixit: *Hoc est Corpus meum quod pro vobis datur*: *hoc facite in meam commemorationem*: postea subjungens: *Hic est Calix novi Testamenti in meo Sanguine, qui pro vobis effundetur*: Cum enim ille in Ara Crucis hostiam vivam Æterno Patri se obtulerit, sequitur, ut actio memoriam ejus immolationis referens, Sacrificium sit vere, & proprie, cujus offerendi potestas Episcopis, Presbyterisque, tamquam Apostolorum Successoribus fuit collata.

Divinum est itaque ministerium nostrum (ut S. Cyrillus ajebat) si Æterno Parenti Unigenitum ejus Filium verborum gladio immolandum, è summo Cælo evocamus. Qua igitur puritate, qua reverentia ad Sacrosanctum istud opus exercendum accedere oporteat, nemo non videt. Quare ne inconsiderate quid fiat, sed sit omnium sollicitudo vehemens,

mens, ut se rite disponant, illudque semper in mente habeant, *sancte Sancta esse tractanda*.

Tria potissimum Sacerdotes celebraturi animadvertant. Clare scilicet, atque distincte verba pronuncient, graviter, & reverenter caeremonias peragant, actionem denique totam devoto comitentur affectu. Ita fiet, ut abominabilis ille praecipitis celebrationis abusus non sine dedecore Sacrificii, & piorum Fidelium scandalo e medio tollatur. Quantum in Nobis est, ubi in aliquo Dioecesis hujus Nostrae loco talem serpere abusum comperiemus, ad compescendos tanti criminis reos, si monitiones impares erunt, eosdem ab Altaris Ministerio arcebimus, donec Nobis argumenta praebeant sincerae poenitentiae. Quapropter Vicarios Foraneos, Parochosque monemus, imo eorum conscientiam oneramus, ut si quos in re tanti momenti deficientes videant, atque ad eos in viam revocandos auctoritate Nostra opus esse cognoscant, Nos ignorare non sinant, Deo rationem reddituri, si forte tacuerint.

Exteris, ignotisque Sacerdotibus ne Missae celebratio permittatur, qui suorum Ordinariorum Dimissorias non exhibuerint, nec non Testimoniales literas illius Episcopi, in cujus Dioecesi degant. Si eos, qui facultate Nostra careant, Ecclesiarum Custodes, aut Sacristae celebrare permiserint, officio privabuntur.

Quod ad Missarum stipendium taxa unius julii Romani pro Missis manualibus juxta proxime praecedentem Synodum servetur. Cum autem rerum fere omnium, quae ad victum sunt necessaria, hisce temporibus pretia sint aucta, aequalem taxam ju-

julii unius, etiam quod ad officiaturas pro singulis Sacrificiis præfinimus, quem integrum habeat celebrans, & ab omni comparandae supellectilis onere sit immunis. Si tamen largior Eleemosyna ab iis, qui celebrationem committunt, sponte offeratur, recipi possit, nusquam vero exigi, aut postulari. Qua super re Sacerdotes ante oculos habeant, quæ ad avaritiam compescendam, & turpe lucrum eliminandum præscripsit S. M. Benedictus XIV. in *sua Encyclica diei* 30. *Maji* 1741.

Nemo plures Missarum celebrandarum Eleemosynas recipiat, quam quæ infra modicum tempus celebrari possint. Porro modicum hoc tempus S. Congregatio *anno* 1665. non ultra Mensem protrahi posse definivit.

Sed, ut hac in re fraus quæcumque evitetur, neve ulla exoriatur suspicio, sive demum, ne eveniente obitu alicujus Sacerdotis, incertum sit, utrum Missæ fuerint ab eo celebratæ, volumus, ut quicumque sit Sacerdos, cui privatæ Eleemosynæ pro Missis manualibus tradantur; duos Codices habere teneatur, in quorum uno Eleemosynas ipsas describat, adnotetque, a quibus receperint, in alio vero Sacra, quæ per singulos dies agit, adamussim recenseat: Hujusmodi vero libros Nobis Diœcesim lustrantibus, aliove tempore, si opus sit, exhibebunt. Qui secus egerint, arbitrariis pœnis subjacebunt.

Qui Sacerdoti Sacrum agenti inserviunt, sint decenter induti. Arceantur autem pueri exiguissimæ ætatis, arceanturque ii, qui, vel quid indecorum præferant, vel subucula tantum humeros induti se sistunt. Pœnas porro dabunt pecuniarias, si Sa-

cerdotes, hujusmodi viros sibi in Missæ actione famulari permiserint.

In solemni Sacrificio, quod Sabbato Majoris Hebdomadæ peragitur, mos est laudabilis in hac urbe, ut vix ad cantum *Gloria in Excelsis Deo* publice pulsentur de more campanæ in Nostro Metropolitano Templo, reliquæ aliarum Ecclesiarum etiam Regularium una simul pulsentur, sive Missæ Sacrificium, sive non expleverint. Morem hunc, qui communi lætitiæ cohæret, etiam in Diœcesi instaurari exoptamus.

Onera perpetua nonnisi facultate Nostra acceptentur, quæ postea in Tabella describantur, in Ecclesiæ Sacrario affigenda, ne in oblivionem cadant, & ne debito statutis diebus adimplemento fraudentur. Vicariorum autem munus sit de eodem bis in anno cognoscere, & si quid neglectum comperiat, ad Nos deferant ad formam Edicti, de quo in *Appendice num IX.* Cumque in hac re licet maximi momenti, non omnes antehac debitam adhibuisse diligentiam cognoverimus, ut se in posterum diligentiores exhibeant, in Domino monemus; secus enim acriori stimulo uti cogemur. Quod vero ad hanc Urbem inquirant Viri, quos in *Appendice num. XXX.* designamus.

Nulli in Monialium Ecclesiis Sacrum peragere liceat, qui facultate Nostra scripto obtinenda (Vicario Foraneo Loci excepto) non sit munitus. In aliis vero Ecclesiis Parochiali proximis, ne quis celebrare audeat diebus Festis ante Missam Parochi, ne Populus ab audiendo ejusdem sermone distrahatur. Parochus autem tempestive celebret, ita ut qua-

 cum-

cumque anni tempeſtate commoda ſit ceteris Sacerdotibus celebratio, Populoque opportuna. At ſi aliquando obtemporis, vel loci neceſſitatem ab hac lege diſpenſandum ſit, ejuſdem Parochi arbitrio, & conſcientiæ relinquimus. Quod in telligendum quoque eſſe de Regularibus jam definitum eſt ad mentem Sa: Me: Benedicti XIV. in Conſtit. *: Et ſi minime* (a).

Quæ in proxime præcedenti Synodo ſtabilita fuerunt pro commoditate Fidelium, ut nempe Miſſæ ita debitis intervallis celebrentur, ut ferme quacumque hora præſto ſit Sacrificium, locum habere etiam in Collegiatis Eccleſiis, & quod ad Canonicos, ceteroſque Capitulo adſcriptos declaramus. Non enim hi ad proprium commodum, ſed ad commodum Populi, unus nempe poſt alium Sacrificium, diebus tamen Feſtis, agant oportet. Ac propterea Sacriſtis injungimus, ut ſacras veſtes denegent, ſi quis extra ordinem vellet celebrare ſub poena unius aurei nummi ab ipſis Sacriſtis repetenda.

Quilibet Sacerdos, etiamſi ſit Canonicus, poſt datum ære Campano ſignum Miſſæ celebrandæ, non illico ad Altare celebraturus accedat, ſed tamdiu expectet, quamdiu opus erit, ut Populus pro audiendo Sacro ad Eccleſiam commode accedat. Accidiſſe enim non ſemel compertum Nobis fuit, ut, dum ſe veſtibus Sacris induunt Presbyteri, eodem tempore ſignum æris Campani detur. Qua ex re fit, ut Populus ad integrum Sacrificium audiendum non perveniat, ac non raro dicteria audiantur. Si quis in hoc deliquerit, mulctam unius pariter aurei nummi ſubibit.

Ne-

(a) Rot. in Anconit. Manut. super bono jure 23. Februarii 1763.

Nemo ocreatus Sacrum agat ; & quicumque sit Sacerdos, qui vel celebrandi vel adsistendi caussa cuicumque Ecclesiasticæ functioni, ad Ecclesiam conveniat, si ob locorum, viarumque asperitatem, non (ut optaremus) talari veste indutus, volumus, ut saltem cum habitu nigri dumtaxat coloris, talarem ibi sumpturus, sub poena suspensionis ingrediatur. Scimus enim irrepsisse in Dioecesim abusum ut Sacerdotes, ut supra ad Ecclesiam convenientes, vestes diversi coloris gestent; quas postea, dum talarem vestem assumunt, in Sacrario deponunt. Advenæ autem Sacerdotes a Nostris Vicariis Foraneis moneantur, ne si ultra triduum in loco sint moraturi, ad Ecclesiam accedere præsumant, si celebrare velint, nisi veste nigri coloris induti.

Prohibitum est, ne Anulus gestetur in celebratione Missæ; sed hujusmodi prohibitionem extendimus, etiam in ministranda Populo SS. Eucharistia.

Improbamus usum pulveris cyprii, pro ut in titulo *de vita, & honestate Clericorum* late sanciemus, sed multo magis in Missæ celebratione; id enim mundanam redolet vanitatem, a qua Sacerdotes omnes prorsus volumus abstinere. Induti vero vestibus, quæ ad Sacrificium peragendum adhibentur, Eucharistiam ne ministrent, nisi inter ipsius actionem Sacrificii, videlicet postquam se ipsos communicaverint, quatenus ex rationabili caussa post Missam quandoque non sit facienda (*a*).

Demum sancimus, ut Presbyteri, si choro non sint adi-

(a) Rit. Rom. hoc tit.

dicti, in die Paschatis; aut infra ejus Octavam semel saltem in ea Ecclesia Parochiali intra cujus fines habitant, Sacrum faciant.

CAPUT V.

De Sacramento Poenitentiae.

SAcramentum Poenitentiae, de quo nunc verba facere aggredimur, Christus Dominus tunc instituit, cum suos Apostolos ita est alloquutus: *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt*: Hoc autem jure, ac merito Tridentina Oecumenica Synodus secundam post naufragium tabulam appellavit. Siquidem Nos baptismalem innocentiam (quod nostrae infirmatis est) amittentes, quasi naufragio perimus. Admirabilis propterea est divinae naturae bonitas, atque benignitas, cum magis ad indulgentiam prona sit, quam ad supplicia.

Quibus vero remitti, quibus retineri peccata debeant, oportet bene noverint ii, qui hac divina potestate praediti sunt, ne quod datum est remedio, in venenum vertatur. Severior quidem erga poenitentes disciplina fuit vetustis Ecclesiae temporibus, quam nunc sit, sensim enim mitior evasit. Nihilo tamen minus eadem fuit semper ejusdem Eccle-

ſiæ mens, ut ſolum vere dolentes, & haud dubia emendationis argumenta præbentes abſolutionis beneficio donarentur.

Quamobrem neceſſe eſt, ut Animarum Rectores, & Sacerdotes omnes, qui ad hujus Miniſterii opus vocati ſunt, quid tractant, attente reputent, neceſſaria diſcant, ut veros a falſis pœnitentibus diſcernant, & propriæ ac Filiorum ſuorum Spiritualium conſcientiæ conſulant. Familiares habeant Ethicæ Chriſtianæ libros, qui magis probati ſunt, tamquam ſaniores doctrinæ Magiſtros, eoſque diurna, nocturnaque manu verſare non deſinant, ne, ſcientia ipſis deficiente, *cæci ſint* (quod Deus avertat) *& Duces cæcorum*.

Benigne in primis, & humaniter, ut par eſt, accedentes excipiant, quos, dum peccata enarrant, importune non arguant, ne ab integra, & ſincera confeſſione deterreantur. Ea vero peracta, non culpas tantummodo ſed etiam adjuncta æſtiment, quæ culpas circumſtant: arguant, ſi opus eſt; obſecrent, increpent, ſed acerbitate vacent monita, ita ut in illis appareat (quemadmodum Magnus Gregorius ajebat) & *juſte conſulens miſericordia, & pie ſæviens diſciplina*.

Si interrogare oporteat, prudentia non deſit, præſertim ſi res cum Adoleſcentibus, aut Virginibus ſit, ne doceant incognita, dum patrata requirunt. Ne audeant inſuper Fidelium Confeſſiones eo modo, quem ſuperius innuimus, audire extra Eccleſiam, niſi ex cauſſa infirmitatis; Illas vero mulierum, ac virorum decimum octavum ætatis annum non excedentium, neque extra Tribunal Pœnitentiæ, neque ante, aut poſt Solis occaſum. Ubi autem infirmis mulieribus inter domeſticos parietes hoc debeant Sacramentum miniſtrare, apertis tantummodo januis illud miniſtrent. In

In Ecclesiis vero semper e Sedibus in loco patenti collocatis Confessiones audiant, talari veste, Superpelliceo, & Stola violacea induti, si Sæculares; si vero Regulares sint, vestibus iis, quas in Choro gestare debent, Stolam super imponant. Crates sint nigro velo opertæ, earumque foramina exiqua: Tabella insuper casuum reservatorum intra Sacræ Pœnitentiæ Tribunal affigatur, & aliqua imago Sacra ob oculos poenitentium sit posita.

Nemini in posterum confessiones audiendi facultatem concedemus, nisi præter examen de more subeundum, etiam testimonium de explicatis in Parochialibus Ecclesiis Christianæ Fidei rudimentis, prout in præsenti Synodo præscripsimus, nec non de frequentia in Casuum Moralium collationibus præbuerint. Regularibus item eamdem facultatem denegabimus, nisi exhibeant requisita a jure præscripta in *Clemen. dudum de Sepult.*, nimirum literas testimoniales sui Praelati, qui de moribus, & de scientia in Ministerio exequendo testetur, Nobisque adprobandos praesentet.

Quae porro peccata in Dioecesi Nostra sint reservata, a quibus nemo Sacerdotum, sive sit Saecularis, sive Regularis, quempiam absolvere possit, non impetrata a Nobis facultate, sequens Tabella ostendit.

CULPÆ RESERVATÆ

1. *Blasphemiæ hæreticales advertenter prolatæ, quando Blasphemans sciat, eas esse hæreticales. Si autem proferantur cum pertinaci errore intellectus circa Fidem, erit crimen heresis Sedi Apostolicę reservatum.* 2. *Abu-*

2. *Abusus Sacramentorum, atque superstitiones cum expressa, maleficia vero etiam cum tacita Dęmonis invocatione.*

3. *Percussio Parentum.*

4. *Homicidium voluntarium, atque abortus studiose procuratus, etiam effectu non secuto.*

5. *Incestus consummatus in primo, & secundo gradu consanguinitatis, & primo affinitatis. Bestialitatis peccatum. Actus Sodomiticus a Masculo consummatus cum Masculo, vel etiam cum Fœmina. Ac demum incestus spiritualis inter Compatrem, & Commatrem ratione spiritualis cognationis.*

6. *Copula consummata inter Sponsum, & Sponsam ante celebratum matrimonium, sive Sponsalia de futuro fuerint inita privatim, vel publice, & consensus, vel permissio ad eamdem Copulam directe, sive indirecte facta sit a Parentibus.*

7. *Qui infantem ante expletum ętatis annum secum in lecto recumbere faciunt, non apposito ligneo, vel alio simili repagulo.*

8. *Quicumque Processus, Scripturas, & documenta existentia in Archivio, aut Cancellaria Archiepiscopali subtraxerit, combusserit, vel occultaverit.*

9. *Quicumque literis, aut supplicibus libellis, proprio nomine non expresso, ad quoscumque Superiores, sive Ecclesiasticos, sive Sęculares datis conviciis, aut falsis criminibus, alterius famam in re gravi lędere tentaverit.*

10. *Bonorum, & fructuum ad loca pia spectantium con-*

versio in proprios usus ab Administratoribus facta , donec ipsi integre non satisfecerint. Item Administrationis suę ratio post annum non reddita, si requisiti fuerint, intra terminum unius mensis, donec reddiderint.

Confessarius, qui facultatem absolvendi a reservatis non habet, Pœnitentes humaniter remittat ad eam habentes; vel exponens in supplici libello, reticito nomine Pœnitentis, casum, ut supra reservatum, facultatem absolvendi a Nobis requirat.

Parochis omnibus Civitatis, & Archidiœcesis Nostræ, non autem Cappellanis Curatis, potestatem facimus absolvendi ab hujusmodi casibus excepto quarto, & octavo, a Dominica Palmarnm usque ad Dominicam in Albis inclusive, & præterea omni tempore absolvendi a septimo.

Eisdem rursus Parochis, qui assistere debent Matrimonio, ipso Matrimonii die, tribusque aliis hujus celebrationem antecedentibus diebus, generalem concedimus facultatem absolvendi a reservatis Sponsum, & Sponsam, qui eis tenerentur.

Declaramus porro, nullam esse reservationem in casibus Bestialitatis, Sodomiæ, & Incestus, quando agens decimum quartum annum ætatis non compleverit.

Addimus ulterius, ut, quotiescumque venia a Nobis datur absolvendi ab Incestu, seu Copula cum conjunctis, intelligatur quoque, ubi opus fuerit, concessa licentia dispensandi Conjugatos ad jus petendi Debitum, de quo ab ipsis Confessionis Ministris certiores fiant Poenitentes.

Et ne quis prædictarum reservationum ignorantiam allegare valeat, mandamus, ut præsens Tabella intra Sacrae Poenitentiae Tribunalia perpetuo affixa teneatur. Me-

Meminerint denique Confessarii omnes illud Ven. Bellarmini effatum inquientis: *Non esset tanta peccandi facilitas, si tanta non esset facilitas absolvendi*: praesertim ubi agatur de ignorantibus Fidei rudimenta, de consuetudinariis, aut in proxima peccandi occasione constitutis.

CAPUT VI.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Quod circa Extremam Unctionem credidit semper, & credit S. Mater Ecclesia, id ex doctrina didicit Apostolorum, siquidem in S. Jacobi Epistola id aperte demonstratur, atque ideo adversus eos, qui contrarium sentientes Sacramenti naturam eidem abjudicare auderent, Sacrosancta Tridentina Synodus, verum esse Sacramentum definivit (*a*). Hoc enim instituisse Christum plane constat, cum nihil egerint Apostoli, quod ille non præceperit, aut sua Spiritus Sanctus inspiratione non docuerit. Quae quidem Unctio appellatur Extrema, eo quod omnium Sacrarum Unctionum ultima sit, quae Christiano homini administretur ad hoc, ut si quae supersunt peccatorum reliquiae, omnino absterganI 2 gan-

(a) Sess. 14. Cap. I.

gantur, & aegroti Anima non modo roboretur, sed recreetur etiam in spem adducta divinae misericordiae consequendae, morbi vero incommoda aequiori animo sustineat, opem Deo ferente illi super lectum doloris ejus, ac interdum etiam pristinam corporis valetudinem recipiat.

Quamobrem ne infirmis hoc saluberrimum remedium desit, caveant omnino Parochi, neve per inertiam, atque desidiam ex hac vita illos decedere patiantur, quin illos induerint hac Fidei armatura, ut possint stare adversus insidias Diaboli: *Vae enim Pastoribus Israel, si quod infirmum fuit, non consolidarunt, quod aegrotum, non sanarunt* (a). Invisant eos, quos in morbum incidisse intellexerint, & si in vitæ discrimine illos versari agnoscant, Pœnitentiæ primum, & Eucharistiæ Sacramentis muniant, & demum in Nomine Domini Sacram iis ministrent Unctionem, ritus omnes, & cærimonias servantes, quæ in Romano Rituali continentur. Hæc negligentes pœnis non levibus plectemus.

Quamvis autem gravi morbo dumtaxat laborantibus, & in mortis periculo constitutis Extrema Unctio sit ministranda, non decet tamen illam protrahere, quousque sensibus propemodum careat infirmus.

Parochi solummodo hoc Sacramentum administrent, vel eorum adprobati adjutores, excluso casu necessitatis, quo cuilibet Sacerdoti facultas sit illud ministrandi: Sacramentum vero conferentes Superpelliceo, Stolaque induti sint.

Hoc Sacramento administrato, haud Parochi suo munere functos se censeant: Volumus enim, & injungimus, ut ipsos

(a) Ezech. 34. v. 5.

pſos ægrotos non deſerant, ſed piis monitis, ferventibus precibus, ac reiteratis contritionis actibus identidem, & tempeſtive adjuvando uſque ad vitæ exitum ita proſequantur, ut ægroti abſque adſiſtentia ex eorum culpa non decedant. Qui hac in re deliquerit, pœnas arbitrio Noſtro ſubibit.

Si forte accidat, ut improviſa vi morbi ægrotus aliquis oppreſſus, nec confiteri, nec Sacra Sinaxi reſici poſſit vel etiam omni ſenſu ſit deſtitutus, ei tamen hoc Sacramentum miniſtretur, ſi vel ex aliqua contritionis ſignificatione appareat illud deſideraſſe, vel ſaltem conſtet, illum pie, ac Chriſtiane vixiſſe. Sacrum Oleum Domi non retineatur, ſed in loculo ad Cornu Evangelii Aræ majoris conſervetur juxta præſcripta in proximè præcedenti Synodo.

Singulis Annis Oleum ipſum renovetur, & vetus comburatur. Quilibet ergo Parochus feria quinta in Cœna Domini mittat Sacerdotem vel Virum in Sacris conſtitutum, vel ſaltem Clericum, qui & veſtes Clericales induat, neque ſit minor viginti annorum ætate, cum tribus vaſculis mundis, & capſula obſerata, ut ſuſcipiat Olea Sacra in Noſtra Metropolitana ab iis, quibus ejuſmodi munus demandatum fuerit, prout alias peculiaribus literis in *Appendice relatis num.* X. ediximus. Qui Olea Sacra deferet, nemini, quam Parocho ſub pœna ſuſpenſionis illa tradat.

CA-

CAPUT VII.

De Sacramento Ordinis.

CUm a Sacramento Ordinis, de quo nunc fermo, cetera Sacramenta ita pendeant, ut fine illo partim confici, & adminiftrari non poffint, partim vero folemni cærimonia, & religiofo quodam cultu fraudentur, facile conjicitur, quantæ illud fit nobilitatis, ac dignitatis: Quippe fons eft, a quo omnis Sacra Poteftas emanat, unde ille Principatus exurgit, de quo Joannes ait: *Chriftus fecit nos Regnum, & Sacerdotes Deo Patri.* Quemadmodum vero in cælefti illo Hierarchico Regno, cujus imago hoc noftrum eft, variis Spirituum Ordinibus varia committuntur officia, ita in hoc Ecclefiaftico in facros Ordinum gradus regimen divifum eft. Cumque Summo Regi Deo, fcilicet Æterno Patri unicum ejus Filium hoftiam viventem offerre præcipuum fit munus, quamvis plures fint Ordines, omnes tamen ad eum referuntur, per quem tam folemne, ac divinum Sacrificium celebratur.

Hujus autem Sacramenti conferendi auctoritas, quam Chriftus Dominus fuis contulit Apoftolis, ad folos Epifcopos tamquam eorum Succeffores tranfiit, ufque ad confummationem fæculi duratura, quod ex traditione, perpetuaque Ec-

cle-

clesiæ praxi aperte colligimus, & Florentina ac Tridentina Synodus solemniter declaravere. (a)

Sed quænam sit, quod ad hujusce Sacramenti dispensationem, Ecclesiæ mens, animadvertere oportet. Jejuniorum enim tempore Ordinationes fieri debere sancivit, exemplo Apostolorum edocta, in quorum actis legitur: *Tunc jejunantes, & orantes imposuerunt eis manus.* Sanctissima hæc fuit lex, ac religiosissime servata. Prioribus autem sæculis usque ad Pontificem Felicem III. Ordinationes solo Mense Decembri celebratæ fuerunt, ut videre est apud Amalarium, ut *cum Christo* (inquit ille) *novelli Ministri nascerentur* (b): Eas vero ad reliqua anni tempora extendit Gelasius I. semper tamen in Sabbato Jejuniorum. Adde, quod vetus Kalendarium Romanum ab Allatio editum (c) hæc habet: *ut hoc jejunium celebretur in largitione Sacrorum Ordinum Ecclesiæ primitivæ mos obtinuit.* Extat adhuc formula denunciationis hujusce jejunii in Sacramentario S. Gregorii M., & apud Card. Bona (d).

Quæ cum ita sint, optime factum credimus, ut quando a Nobis Clericorum Ordinationes celebrandæ sunt, tunc Parochi de eisdem Populos certiores reddant inter solemnia Missarum, eosque hortentur, ut religiose jejunia observantes, preces etiam devote adjungant: *Dominum rogando, ut mittat Operarios in messem suam*: Nosque superno suo lumine

(a) Conc. Trid. Sess. 23. cap. 4. can. 7.
(b) Libro 2. cap. 1.
(c) Lib. de Dominic. & Hebdom. Præc. cap. 37.
(d) Lib. 2. cap. 16. Rerum Liturgicarum.

ne illuftret, ut, indignis rejectis, nonnifi eos, quos dignos effe ipfe novit, ad Sacra Munia eligamus. Quantum Nobis id cordi fit, verbis explicare impotes fumus.

Obfecramus infuper omnes in Domino, præfertim vero Parochos, ut eos, quos fciverint Ecclefiafticæ Militiæ nomen dare velle, fi vitæ turpitudine, morum improbitate, vel alicujus criminis labe fuerint notati, Nobis fecreto pandant. Non enim aliis Clericalem honorem conferre poffumus, quam quos vitæ probitatem, & fcientiam, aut faltem fcientiæ fpem præferre conftiterit.

Jam vero, qui fint a Sacris, & Minoribus Ordinibus, ac prima Tonfura rejiciendi, quique admittendi, & quibus requifitis prædíti effe debeant, late ediximus, evulgato Edicto, quod damus *in Appendice num. XI.*; quodque peculiari lege hic confirmamus, & ab iis, ad quos fpectat, omnino fervari mandamus.

Ab iis, qui ad Minores Sacrofve Ordines promovendi funt, indubia exquiremus documenta, ex quibus certo conftet, utrum Ecclefiæ, cui funt addicti, famulati fuerint, Chriftianam Doctrinam fua in Parochia explanaverint, SS. Euchariftiam ad infirmos delatam religiofe comitati fuerint, collationi Cafuum Moralium, Sacrorumque Rituum interfuerint, Gregoriano Cantui ftuduerint, Pœnitentiæ, & Euchariftæ Sacramenta bis in Menfe, qui in Minoribus, fæpius etiam qui in Majoribus conftituti funt, fufceperint.

Sed de diligentia quoque, & progreffu in ftudiis teftimonium proferant oportet. Qui inferiorum difciplinarum, ac phi-

Philosophiæ (saltem Dialecticæ) studia non absolverit; & actu Theologiæ, vel Dogmaticæ, vel Morali, sive sacris Canonibus addiscendis operam non præstet, ad quoscumque Sacros Ordines non admittatur. Dum pro examine coram Nobis sistent, in primis experimentum subibunt super aliquo tractatu ex iis, ad quæ addiscenda ipso Scholastico anno incubuerint. Deinde super Sacramentis in genere, super Censuris, super horis Canonicis, & demum super Ordine, ad quem promoveri petunt, opportune interrogabuntur. Aliquid vero majus a promovendis ad Sacerdotium exquiremus. Etenim præter recensitas res adhuc super ipso Sacerdotii Ordine, super iis, quæ ad Eucharistiæ & Pœnitentiæ Sacramenta, Missaeque Sacrificium pertinent, responsa dabunt.

Ad Minores Ordines promovendi sciant ea quæ naturam respiciunt, & officia ipsorum Ordinum, quos petunt, nec non indolem Rituum, & Cærimoniarum, quæ in eorum Ordinatione adhibentur. De his enim specimen dabunt, dum sese examini subjicient, in quo ulterius inquiremus, utrum Latinam Linguam bene intelligant, ac firmam spem præbeant de non vulgari progressu in studiis, quibus vacant. Præcipuum vero de studio Orationis examen erit; quisnam videlicet orationis sit modus, quis fructus, & quot illa partibus constet, & qua demum ratione se illi quisque debeat comparare.

Tonsurandi vero nisi Doctrinæ Christianæ rudimenta perfecte norint, legere itidem, & scribere sciant, repellentur. Hi autem S. Chrismate sint confirmati, & in legitima ætate constituti, ac insuper probabilis adsit spes, titulum,

 cum

cum ad Sacros Ordines suscipiendos necesse erit, habituros.

Interest quam maxime, ut qui Sacræ Militiæ nomen dare velint, bene calleant, quae ad tantam spectant dignitatem, & suam recte probent vocationem. Hinc quicumque petierit Subdiaconatus Ordinem, fueritque in examine adprobatus, Convictum, quem dicunt Ecclesiasticum in hac Missionis Domo ante Ordinis susceptionem absolvere teneatur, a Die nempe Dominica Palmarum usque ad diem Ordinationis, quae Mense Septembris habebitur, prout inhaerentes Concilio Romano jussimus, lato Edicto, quod datum in *Appendice num. XII.* peculiari lege confirmamus. Quid vero promovendi ad ipsum S. Ordinem eo temporis spatio agere, quid discere, & quomodo se gerere debeant, alio Edicto significavimus quod in ipsa *Appendice* refertur sub *eodem num. XII.*

Eamdem ipsam ob caussam, ut nempe quisque suam probet vocationem, & nonnisi digni assumantur Sanctuarii Ministri, Congregationem instituendam duximus in eadem Missionis Domo (prout Sa: Me: Benedictus XIV. aperiri jussit anno 1740. pro promovendis in Urbe) ut bene instituantur tam ii, qui ad Clericalem Tonsuram admitti velint, quam ceteri, qui post Clericatum Minores, & Sacros Ordines suscipere intendant. Huic ergo Congregationi adesse volumus per sex Menses, qui Clericatu insigniti, & ad primum ex Ordinibus Minoribus promoveri cupiunt, eamque frequentare teneantur, usque dum ad ultimum ex ipsis Minoribus promoveantur: Per annum vero, qui ad Subdia-

diaconatum, per alium, qui ad Diaconatum, & usque quo evadat Sacerdos, interesse obstringatur juxta ea, quae in superius recensito Edicto *num. XII.* praescripsimus.

Constat jam neminem ad S. Ordines promoveri posse, nisi titulum habeat sufficientem Beneficii, sive Pensionis, aut Patrimonii Sacri. Quanti debeant esse annui fructus tituli, ad quem quis ordinandus est, jam sunt præfiniti pro hac Diœcesi in scutatis vigintiquinque. Reliquum est, ut quae in Constitutione Patrimonii Sacri, in aestimandis fructibus, & in denunciationibus inter Missarum solemnia habendis proxime praecedens Synodus praescripsit, & Nos adprobamus, religiose serventur.

CAPUT VIII.

De Sponsalibus, & Matrimonio.

Quia Matrimonium, utpote civilis contractus est, a Sponsalibus incipit, de his pauca prius occurrunt dicenda. Hæc itaque in mutua, & valida futuri Matrimonii promissione consistunt. Cum autem sese alter alteri despondebat, hoc antiqui subarrhare appellabant; unde illud Ambrosii de S. Virgine Agnete: *Anulo suo subarrhavit me Dominus meus*. Per anulum enim, vel per dona, vel per expressum consensum hujusmodi sponsiones (ex quibus Sponsi, ac Sponsæ appellatio) fieri solebant.

Tunc vero Sponsalia valorem inducunt, cum adsit vera, non ficta promissio, cum hæc mutua sit, & Personæ ad contrahendum sint idoneæ, nec ullo irretitæ impedimento, cum demum post septennem ætatem promissio fiat, vel, si prius facta, rata habeatur. Secus Sponsalia nulla sunt.

Quia vero clanculum inita plurima mala, ac molestas etiam in foro contentiones persæpe producunt, volumus propterea, ut Sponsalium promissio palam fiat, Parentibus monitis, sciente Parocho, & exaratis tabulis coram Notario, vel alio honesto viro. Contra facientes pœna scutatorum decem, nedum a contrahentibus repetenda, sed ab ipso quoque Notario, vel ab eo, qui operam præstiterit, subeunda plectantur.

Sed plura mala ex mutuis prophanis amoribus derivare constat, potissimum si largitio munerum accedat, quæ ab amasiis deferuntur puellis. Evenisse enim non semel vidimus, ut dum ipsæ puellæ cum alio (eo postposito, qui inter amoris æstum dona dedit) sponsalia inire velint, ex caussa eorumdem munerum Matrimonia etiam per simulata impedimenta, ac judiciali actione intentæ præpediantur. Ut aliquod huic rei præstetur remedium, mandamus, ut, quæ munera, antequam Apoca Matrimonialis rite celebretur, ab amasio præbentur, hic prorsus amittat, & a Parocho illico vendantur, pretiumque pauperibus distribuatur. In prophanos porro amores ipsos invehant frequenter, & vehementissime Parochi, qui ulterius puellarum Parentibus edicant, Nos in ipsos gravissimis pœnis animadversuros, si ex eorum incuria,

vel

vel conniventia in aliquod inhonestum crimen filiæ probabuntur incidisse.

Inita Sponsalia intra duos menses per Matrimonii celebrationem ad exitum perducantur. Stricte hinc Parochis præcipimus, ut transactis ipsis binis mensibus, si Matrimonium celebratum non fuerit, moneant Sponsum, Sponsæque Parentes, ut quamprimum Matrimonium ipsum juxta Ecclesiæ ritum absolvant. Si monitioni non pareant, eorum negligentiam Nobis pandant, ut opportuna remedia præstare possimus.

Ante ipsius Matrimonii celebrationem Sponsi simul non cohabitent; imo ne ullo quidem modo mutua consuetudine, vel commercio utantur, nec invicem absque Parentum, seu Propinquorum præsentia colloquantur. Grave enim scelus esset, quidquid, antequam contraxerint, de præsenti committi contigerit: *Væ enim terræ, cujus Principes mane comedunt*, *inquit Ecclesiasticus* (a).

Hactenus de Sponsalibus, nunc de Matrimonio. Honorabile Viri, ac Mulieris connubium, ad naturæ officium, & ad Reipublicæ bonum, Deo ipso jubente, ordinatum Christus Dominus Salvator noster ad Sacramenti dignitatem evexit, voluitque, ut suæ arctissimæ, atque æternum duraturæ necessitudinis cum Ecclesia, vinculum repræsentaret. De hoc itaque dum sermonem haberet, Apostolus iis utebatur verbis, quæ ad ejusdem excellentiam significandam aptiora viderentur. Ajebat nempe: *Nuptiae Sanctæ*, *Thorus immacu-*

(a) Cap. 10. v. 16.

latus : Sacramentum hoc magnum est , ego autem dico in Christo, & Ecclesia.

Quod cum ita sit, intelligent profecto Parochi , qua sedulitate commissos sibi Populos monere debeant, ut ad hoc Sacramentum si accedere statuerint, se rem non humanam, sed plane divinam sciant peracturos; Matrimonii vim, onera, & bona eis explicent accurate, doceantque, nonnisi in statu gratiæ citra sacrilegium recipi posse, ac propterea Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ participatione præparari oportere.

Neminem ad hoc Sacramentum accedere patiantur , qui Fidei rudimentis, Doctrinæque Christianæ praeceptis imbutus non sit; ideoque, priusquam denunciationes fiant , Sponsos interrogent diligenter , & si quos in rebus scitu necessariis ad salutem rudes invenerint , differant , donec apprime instructi sint, denunciare.

Trinae igitur, antequam Matrimonia celebrentur, praecedant proclamationes inter Missarum solemnia, ac tribus diebus festivis, cum nimium frequentior populus aderit. Quavis ex caussa, quantumvis gravissima, absque Nostra dispensatione, in scriptis concedenda, illae non omittantur, minuanturve. Si in diversis Parochiis, vel oppidis, locisque nostrae Diœcesis contrahentes habitent tam Viri , quam Fœminae, Parochus trinas absolvat denunciationes. Si unus, aut uterque ex contrahentibns ipsis, forensis, & alienae existat Diœcesis, tunc de libero statu juxta Instructionem S. Congregationis S. Officii *in Appendice num. XIII.* inserendam, constare debet. Cetera quae hac in re fusius statuta fuerunt a

Prae-

Praedecessoribus Nostris, praesertim a Clar. Mem. Cardinalibus *Gualterio*, & *Paracciano* sub hoc titulo omnino confirmamus, & in suo robore volumus permanere.

Si ante, vel inter, vel post ipsas denunciationes, non contracto tamen Matrimonio, aliquod proponatur impedimentum, Parochi, quamvis illud falsum, vel dolosum probabiliter credatur, tamen nec ad Matrimonii celebrationem, neque ad ulteriores proclamationes, Nobis inconsultis, procedant, ut pro re nata, quod in Domino opportunum judicabimus, providere possimus. Qui vero falsum aliquod impedimentum malitiose detulerint eo animo, ut futurum Matrimonium pervertere, aut saltem differre possint, praeter poenas falsi a jure inflictas, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant, prout etiam illi, qui vera scientes impedimenta, postquam denunciationes in Ecclesia absolutas fuisse intellexerint, ea non detexerint, sed dolose tacuerint. De hisce poenis in actu proclamationum Parochi Populum opportune moneant.

Inutile foret, Matrimonia denunciare, nisi ea Populo, quae Matrimonium contrahendum impediunt, dirimuntque contractum, saepius edicantur. Hinc Parochi haec ipsa impedimenta recte calleant, & bis saltem in anno, iis nempe temporibus, quibus solemnes Nuptiae aperiuntur inter Missarum solemnia recenseant. Numquam eodem publicationis die, sed aliquo interlapso, Matrimonio Parochi assistant, ut ad detegenda opportune impedimenta, ea scientibus tempus non desit.

Ipsa autem Sacramenti celebratio fiat orto jam sole, de ma-

mine, in Ecclesia Parochiali, & nunquam extra illam nisi ex caussa a Nobis adprobanda. Semper vero inter Missæ celebrationem, Parochi Nuptiis benedicant, & statutas ab Ecclesia caerimonias omnino servent. Caveant, ne secundis Nuptiis benedicant, si mulier fuerit antea benedicta; talis enim benedictio, quæ unicam repræsentat Christi unionem cum Ecclesia, iterari nullo modo debet. At contra si Vir secundam non prius benedictam duxerit, tunc Nuptiæ benedicendæ sunt. Sacrum, ut in Missali Romano, pro Sponsis celebretur.

Verum ad dirimendas controversias, ac dubitationes hac in re aliquando obortas, servari mandamus generale Decretum S. R. Congregationis usque ab *anno* 1783. 20. *Decembris* emanatum, & a *SS. D. N. PP. PIO VI. die* 7. *Januarii* anni 1784. confirmatum, cujus sunt verba: *In celebratione Nuptiarum, quæ fit extra diem Dominicam, vel alium diem festum de Præcepto, seu in quo occurrat Duplex primæ, aut secundæ classis, etiamsi fiat officium, & Missa de festo duplici per annum, sive majori, sive minori, dicendam esse Missam pro Sponso, & Sponsa, in fine Missalis post alias Missas votivas specialiter assignatam; In diebus vero Dominicis, aliisque diebus festis de praecepto, ac Dupl. I., & II. Classis dicendam esse Missam de festo cum commemoratione pro Sponso, & Sponsa.*

Si qui non præsente Parocho, vel alio Sacerdote, cujus ille vicaria opera uti velit, & duobus saltem non adhibitis testibus contrahere audeant, nullum atque irritum sciant esse hujusmodi contractum. Secus autem si Nostra intercesserit auctoritas.

Ma-

Matrimoniis Advenarum, peregrinorum, aliorumque quoquo modo vagantium ne Parochi assistant, nisi prius Nos certiores fecerint, ut, diligenti inquisitione adhibita, de libero eorum statu prius cognoscamus, ac deinde facultatem in scriptis impertiamur.

Clandestine contrahentes, præter invaliditatem a Tridentino Concilio jam declaratam, Censuras Ecclesiasticas a jure statutas incurrent, & pœnis a Nobis infligendis plectentur.

A Sanctitate hujus Sacramenti prorsus abhorret, quod Modestiam, & Religionem non sapiat. Hinc omnes joci, risus, cantus, aliique indecori, superstitiosi, ac prophani abusus penitus ablegandi. Potissimum vero scloporum, aliorumque id genus instrumentorum explosiones prohibemus, quæ diebus festis fiunt, tam eo nempe, quo ineuntur Sponsalia de praesenti, quam quo Matrimonia celebrantur, præsertim a Rusticis, non sine Festorum prophanatione, sub pœnis arbitrio Nostro infligendis.

Inito demum Matrimonio, illico, vel saltem eodem die Parochi illud in codicem referant, prout in Rituali Romano præscribitur.

PARS TERTIA.

CAPUT I.

De vita, & honestate Clericorum.

Em quidem muneris nostri præcipuam suscipimus, cum de Clericorum vita recte, honesteque instituenda regulas damus, ac præcepta statuimus, ut, quod ii professione sunt, actionibus potius, quam nomine ostendant. Quid enim dignitas in indigno, ajebat Salvianus *(a)*, nisi ornamentum in luto? Ideo enim vocantur Clerici, quia de sorte Domini sunt, quia Dominus sors, idest pars Clericorum est. Hinc, quando ab Episcopo initiantur, hæc ex Psalmo verba proferunt: *Dominus pars hęreditatis meę.*

Quod cum ita sit, agnoscant oportet omnes, qui Clerici sunt, eam, qua ornantur, dignitatem, & abdicatis omnibus Sæculi vanitatibus, atque negotiis, velut Angeli cum Hominibus in terris versentur, ad dandam scientiam salutis, ad cooperandum Nobis in Altissimo Ministerio verbi, & Sacramentorum, ad prælucendum Populis virtutum exemplo, ut tales sint, quales eos Christus appellavit, *Sal terrae, lux Mundi, Civitas supra montem.*

Ve-

(a) Lib. 2. de Eccl. Cath.

Verum, cum fascinatio nugacitatis ad imitandos Sæculi mores Clericos etiam alliciat, & quodammodo trahat, ita ut: *commixti inter gentes discant opera eorum* (*a*); hinc fit, ut quæ sæpius a Sacris Canonibus pro vitæ norma fuerunt sancita, penitus oblivifcantur, aut veluti obsoleta, nostræque ætati minime censeant accommodata. Quapropter Episcoporum cura esse debet, emergenti malo, quantum in Domino possunt, occurrere.

Nos igitur, cum plura, quæ ad eorumdem Canonum tramites Decessores Nostri sanctissime decreverunt, conspiciamus in desuetudinem abiisse, iterum ea observanda mandabimus, quædam vero alia, quæ nunc necessaria ducimus, opportune decernemus.

Jam vero, cum sine peculiari Dei auxilio nemo possit quidquam boni agere, & ne cogitare quidem, ejusque auxilii obtinendi sola Oratio vim habeat, Christo ipso docente, *petite, & accipietis*, Clericos omnes orationi vacare in primis oportet, ut propitio Deo, & sancte vivere, & commissa sibi munia possint, ut par est, adimplere. Eos igitur, sive majori, sive minori in gradu sint constituti, in Domino hortamur, & obsecramus, ut singuli quotidie per aliquod tempus mente orent, ac voce; Sacræ itidem attendant lectioni juxta Apostoli monitum (*b*). Pios quoque recessus identidem adeant, ut Spiritualibus Exercitationibus operam dantes, mundanum pulverem, si forte contraxerint, opportune excutiant (*c*). Horas canonicas statis, quoad fieri potest,

(a) Psal. 105.
(b) Ad Timoth.
(c) Encycl. S. Congregationis Concilii.

test, temporibus composite, pieque recitent, non per viam deambulantes, nisi forte in remoto loco, ubi intenta huic dumtaxat rei esse possit oratio. Presbyteri, qui nullo majori onere tenentur, diebus saltem Dominicis, & festis omnibus, si nulla legitima eis obstet caussa, Sacrum facere non omittant. Diaconi vero, & Subdiaconi bis, ac frequentius, bis vero Clerici in Minoribus Ordinibus constituti, reliqui semel in Mense, prout etiam in titulo de *Sacramento Ordinis* innuimus, ad Pœnitentiam, & Eucharistiam accedant. Quilibet demum pro sui Ordinis gradu suis Parochialibus Ecclesiis, vel illis, quibus sunt addicti, sedulo ministrent, & inserviant, propatereaque caveant, ne, dum alii de Clero divinas laudes canunt, ac in sacris functionibus agendis versantur, ipsi inter Populum admixti in Ecclesia more Laicorum consistant. Qui secus egerint, non levibus arbitrio Nostro pœnis erunt obnoxii.

Cum vero scriptum sit: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus*: in aquirenda idcirco Sanctorum scientia omne studium, omnemque operam collocare tenentur. Quod sane si negligant, gravi culpa non carebunt, cum quisque ea scientia præditus sit oporteat, quæ suscepto Ministerio rite obeundo satis esse possit. Hinc sanctiones sectantes Concilii Toletani IV. Clericos omnes monemus, ut divinas Scripturas, Sanctissimos Ecclesiæ Canones assiduo percurrant; Potissimum hortamur, ut Concilii Tridentini Decreta, & hasce nostras Synodales Constitutiones frequenter legant, ac mente revolvant. His porro libris adjungant Romanum Catechismum, probatorumque Auctorum com-

commentaria, vel de Dogmatica, vel de morali agant Theologia. Sed de Clericorum studiis opportuna diximus, ubi sermo fuit *de Sacramento Ordinis*.

Abhorreant vero ab otiosis, multoque magis obscænis libris legendis. Sed potissimum libros contemnant, ac omnino devitent, in quibus agitur de impia illa Philosophia, quæ hisce nostris calamitosissimis diebus tam horrendum bellum Catholicæ Religioni indixit. Non eos seducat quædam, quæ in hujusmodi libris inest, concinna verborum jucunditas, non elegans dicendi ratio; Lethale enim virus in iis latet, nihilque præter execrabilem licentiam, ac impietatem redolent, prout præmonuimus in Edicto super *vita, & honestate Clericorum*, quod damus *in Appendice num. XIV.* quodque una cum alio super eadem edito, & relato sub *num. XV.* confirmamus.

Orationi, atque doctrinæ exemplum bonorum operum accedat necesse est. Inquit enim Christus Dominus: *Vos estis Lux Mundi: Unde non solum Episcopi, Presbyteri, & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum Populum, cui praesident, conversatione, sermone, ac scientia praecedant, verum etiam & inferiores gradus, Exorcistae, Lectores, Æditui, Acolythi, & omnes omnino, qui Domui Dei serviunt: Quia vehementer Ecclesiam Christi destruit, meliores Laicos esse, quam Clericos* (a).

Id autem, ut feliciter, & prospere eveniat, Nos in primis cum fœminis contubernium, omnemque familiaritatem Cle-

(a) In Epist. ad Tit. S. Hyer. cap. 1. relat. a Grat. caus. 8. quæst. 1. cap. 21.

Clericis interdicimus. Ita vero hac in re se gerant, ut non culpam tantum, sed omnis quoque culpae suspicionem a se amoveant. Quare fœminarum domicilia non frequentent (quod peculiari jure Confessariis, etiam Regularibus interdicimus quod ad fœminas pœnitentes) nec eas ad proprias aedes admittant (*a*). Cum ipsis, cujusvis sint generis, & conditionis, non habitent, nisi sint primo, vel secundo consanguinitatis, vel affinitatis gradu conjunctae (*b*); imo ne cum ipsis quidem, si sint suspecti, vel improbati nominis, insimul vivant. Qui Sacerdotes, ceterique in Sacris constituti aliquo indigent famulatu, tutius, & honestius agent, si ancillarum loco viros sibi assumant, ii praesertim, qui soli habitant (*c*). Nemo autem fœminas, etiamsi sint vitae probatae, sed aetatis flore vigentes in sui famulatum excipiat (*d*). Quae vero quadragesimum saltem aetatis annum transegerint, ut in ancillas sibi vocent, potius toleramus, quam concedimus, praesertim si solus cum sola easdem incolat aedes. Demum nemo audeat, prout in Edicto mox relato praescripsimus, fœminis quibuscumque, etiam consanguineis per vias, & plateas inservire, eas brachio, manibusque fulcire, sive aliud praestare obsequium, quod Sacerdotalem laedat dignitatem (*e*). Qui in haec Decreta deliquerit, pecuniaria pœna, & piis in religiosa Domo Exercitationibus plectetur, ac, contumacia crescente, nedum Sacris arcebitur,

(a) Cap. Clericus 20. distinc. 81. & cap. Hospit. 17. dist. 32.
(b) Conc. Prov. Alex. Borg. sub hoc tit.
(c) Idem Conc. Provinc.
(d) Idem Conc. Provinc.
(e) Prim. Diœces. Synod. Borg. pag. 50.

tur; sed etiam Carcerem subibit, beneficioque privabitur (*a*).

Choreis non intersint praesertim si publice agantur, foeminas ad ipsas Choreas non ducant, & proprias aedes ipsi non commodent, ut Choreae sive publice, sive privatim habeantur. Si secus egerint, poenam pecuniariam Clericis arbitrio Nostro indicimus, Presbyteri vero per duos Menses a Sacris sint illico interdicti. Qui vero cum ipsis foeminis saltaverint, vel personati utcumque tempore Bacchanalium incesserint, si sint Clerici, per biennium ad Superiorem ordinem non promovebuntur, si Presbyteri, Suspensionem a Divinis se sciant statim contraxisse, nec ab alio, quam a Nobis absolvi posse (*b*). Comoediarum, aut prophani ullius spectaculi non sint Actores, ne intra privatos parietes quidem, si spectantium concursus admittatur, sub eadem *suspensionis* poena. In iis musica instrumenta non pulsent, scenis mutandis operam non praestent, ac Actoribus verba non suggerant. Qui defecerit, pecuniaria poena afficietur, vel ad pias Exercitationes amandabitur. Sed ab ipsis Comoediis, ipsisque prophanis spectaculis absit; qui enim quotidie clamant: ***Averte oculos meos, ne videant vanitatem***: Christianorum oculis scandalum, & incontinentiae suspicionem eorum mentibus praeberent, si vanis hisce mundi rebus spectandis interessent. Theatra itaque devitent: Profecto Nos summo cum dolore erimus audituri, si Clerici Nostri ea frequentent, ceu in Edicto superius relato declaravimus.

Cum

(a) Idem Conc. Prov. Borg.
(b) Idem Con. Prov.

Cum laicis infimæ notæ, vel licentiæ deditis consuetudinem non habeant, noctu incongruis horis non vagentur, minusque per vias, aut vicos, vel musica instrumenta pulsantes, vel canentes incedant (*a*). Alias enim pro criminis ratione punientur.

A ludis abstineant, qui illiciti sint; eos autem illicitos declaramus, quos fortuna tantum, non probabilis industria regit, quosque enumerat *Syn. Gualtieri* (*b*), & prima *Syn. Borgia* (*c*), & fusius recenset Edictum recens, quod in re lusoria ab Emo Secretario Status postremis hisce temporibus ex auctoritate Sanctissimi Domini Nostri PII VI., fuit promulgatum. Qui ergo ludis istis, etiam in privatis ædibus, sive per se, sive per interpositam personam, aut inita cum ludentibus societate operam dederint; poenam quoque suspensionis Nobis reservatæ, si sint Presbyteri, & tertio moniti non resipuerint, illico contrahant (*d*). Si Clerici, decem aureis, aliaque graviori poena mulctabuntur (*e*).

Permittimus vero, seu potius toleramus eos ludos, qui vel prorsus, vel quasi ab industria pendent ludentium, dummodo ad corporis, animique relaxationem agantur. Sed hos quoque vetamus, si res sit in publicis locis, nimirum in tabernis, vel apothecis, locisque contiguis; potissimum vero prohibentur Clericis in hac Universitate ad studia incumbentibus, quorum caussa prostant Edicta in *Appendice num. XVI.*

(a) Syn. Gualt. pag. 146.
(b) Pag. 145.
(c) Pag. 49.
(d) Syn. Gualt. d. pag. 145.
(d) Syn. Paracc. hoc. tit.

XVI. Delinquentes porro pœna carceris, amissione pecuniæ ludo expositæ, aliisque arbitrio Nostro plectentur (*a*). Sciant demum Clerici nostri, morum gravitati adversari, si, tempus inutiliter terentes, eos, qui ludunt potissimum in locis publicis, vel spectent, vel eorum testes existant (*b*), vel ipsi taurorum pugnis intersint (*c*). Sed graviori pœna plectentur, si, dum Canum cum Bobus certamina ducuntur, audeant & ipsi hac illac, qua Boves pergunt, & agitati traducuntur, indecore cursitare, & verbis, signisque tumultus ciere.

Tabernas, & cauponas, vel alia loca, ubi publice vina venduntur, comedendi, vel bibendi caussa non ingrediantur. Si quis in hoc deliquerit, illum etiam suspensione mulctabimus (*d*). Quod si forte iter agentes ad ea loca necessitate compulsi accedant, diligentissime consulant dignitati Ordinis, ac suæ, & citissime se expediant. A crapulis, & ebrietate se abstineant, ait enim Apostolus (*e*): *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*: Et Salvator ipse (*f*) præcipit: *attendite vobis, ne forte graventur corda vestra a crapula, & ebrietate*: Convivia itaque, præsertim publica, fugiant: ad æqualiter secum potandum neminem provocent, nec invitati conditionem accipiant. *Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi a Superiore commonitus satisfecerit, ab*

(a) Syn. Gual. d. pag. 145.
(b) Syn. Prov. Borg. pag. 22.
(c) Syn. Paracc. pag. n. 80.
(d) Syn. Gualt. d. pag. 145.
(e) Ad Ephes. 5. 18.
(f) Lucæ 21. 34.

Officio, *&* *Beneficio suspendatur*. Sunt verba Cap. *a Crapula* 14. *de vit*, *&* *honest. Cleric.*

Arma *militiæ nostræ non carnalia sunt*, *sed potentia Deo*, *ad destructionem munitionum*. Ita monet Apostolus: Ambrosius vero subdit: *Orationes*, *lacrymæ fuerunt mihi arma adversus milites*, *talia enim sunt munimenta Sacerdotis in cap. non pila* 3. *caus.* 23. *quæst.* 8. Ab armis igitur gestandis, quæ a jure utcumque sunt prohibita, omnino se abstineant. Cetera vero, etiamsi venationi sunt accommodata, absque Nostra venia non deferant (*a*). Si porro facultatem venandi parvas aves etiam cum sclopo, scripto eis erimus daturi, sciant, id Nos concessuros ad honestam tantum animi relaxationem. Propterea declaramus, ac præcipimus, ne venationi hujusmodi dent operam diebus Dominicis, & festivis, ac in solemnibus jejuniis, totoque tempore Adventus. Id ulterius non agant, nisi caute, non frequenter, ac decenti semper, & clericali veste induti. Demum sclopum nec intra mænia Civitatis, locorumque, nec ubi est Populi concursus, deferant, atque a venatione redeuntes ne captam quidem prædam per vias, & plateas ostentent (*b*). Si quis absque Nostra venia, aut non servatis conditionibus mox relatis, aliisque, quæ Nostris patentibus literis adjicientur, arma gestaverit, præter pœnas a jure, & generalibus Edictis inflictas ad religiosam Domum pro piis Exercitationibus amandabuntur. Porro si comperiemus, Clerum Nostrum ita se venationi daturum, ut indulgentia hac Nostra, prout olim, abutatur, prohibitivum Edictum restaurabimus.

Omne

(a) Syn. Gualt. pag. 144. Syn. I. Borg. pag. 50.
(b) P. Syn. Borg. pag. 51.

Omne mercaturæ genus cupiditatis, & lucri gratia Clerici devitent, ac ne prædia etiam Ecclesiæ conducant, neque cum conductoribus societatem ineant (*a*). Qui secus egerint, poenas a Sacris Canonibus latas dabunt, ac insuper si tertio moniti non resipiscant, a Sacris interdicentur, & excommunicatione punientur. Quid vero in propriis prædiis, ac rebus licite agere possint, videant in Decretis S. Congregationis Concilii, quæ pro eorum instructione in *Appendice num. XVII.* referuntur. Negotiis, quæ Laicorum sunt, non vacent, vel eorum famulatui se addicant (*b*), nisi pietatis caussa, & dummodo negotiis sæcularibus non se immisceant, nec vilia audeant tractare (*c*). Nundinas, publicosque mercatus non frequentent; et, si necesse sit, ut hos, vel illas adeant aliquando, propria tantum, non aliena negotia procurent, clericalibus vestibus sint induti, ac modeste, nihilque contra officium, & dignitatem agant. Si quis contra egerit, & si bujusce suæ dignitatis immemor eidem Laicorum obsequio se in posterum præstabit, meritis poenis certissime mulctabitur.

Nullius tutelam, & curam, nisi charitas id postulet, & Nostra venia intercesserit, minime assumant. In laico Tribunali quemquam quacumque ex caussa accusare, fidejubere, depositum recipere, vel testimonium ferre absque Nostra facultate non audeant. Tabellionatus officium, præsertim in sæcularibus, & prophanis negotiis non exerceant,

M 2 Chy-

(a) Syn. Gualt. pag. 147.
(b) Syn. Paracc. pag. 283.
(c) Syn. Prov. Borg. pag. 24.

Chymicas, Chirurgicas, Medicasque Artes; multoque magis, quæ turpitudinem redolent, nullo pacto profiteantur. Non causas demum in foro tueantur, nisi in casibus a jure permissis (a). Si quis hæc erit Decreta violaturus, tum Canonicis, tum, quæ Nobis libuerint, pœnis afficietur.

Reliquum est, ut de habitu, & Tonsura Clericorum agamus. Jam vero notum est, & exploratum, habitum, & Tonsuram tam a Clericis, qui in S. Ordinibus sunt constituti, tam ab aliis inferioris Ordinis, si Beneficium Ecclesiasticum habeant, præferenda esse (b). Gravissimis porro pœnis feriuntur, ac nedum a Sacris, sed etiam ab Officio, & Beneficio privantur, qui huic Canonicæ Legi non obtemperant (c). Hasce itaque pœnas exquisitissime repetemus, si quis forte ex Clero Nostro hac in re deliquerit.

Quamquam in jure communi nihil sit præfinitum, quænam esse debeat ratio, & forma habitus ab Ecclesiasticis Viris gestandi, nihilominus sciant in primis Clerici Nostri, talarem vestem iisdem convenire, & Nos jure hanc posse præscribere (d). Ab hujusmodi tamen imperio Nos in præsentia abstinemus; sed Presbyteros maxime hortamur, ut singulis diebus hujusmodi vestem saltem quando ad Ecclesiam se conferunt celebraturi, deferant. Eam tamen de mane induant præcipuis anni festivitatibus, nimirum ubi Ecclesiam petunt, vel

(a) Syn. Gual. d. pag. 147. Syn. Paracc. d. pag. 283.
(b) Conc. Trid. sess. 14. cap. 6. de Reform.
(c) Conc. Trid. loc. cit. Xixtus V. in const. Cum Sacrosanctum, & Bened. XIII. In Catholicæ Ecclesiæ.
(d) Xixtus V. in d. Const. Conc. Trid. sess. 14. cap. 6., & sess. 22. cap. 1. de Reform.

vel Sacrificium acturi, vel Sacras Functiones iisdem diebus absoluturi. Omnino demum eam adhibeant, dum Sacrum faciunt, Sacramenta ministrant, vel supplicationi intersunt. Qui secus fecerit, suspensionis pœnam ad decem dies subibit. Porro talaris vestis usque ad talos pertingat, & ita deferatur, ut undique clausa usque ad talos ipsos sub eadem pœna descendat (a).

Vestes autem Clericorum omnes non sint alius coloris, quam nigri: Hyberno tamen, pluvioque tempore pallium violacei, aut alterius modesti, & subobscuri coloris, rure vero, ac itineris caussa vestes pariter subobscuri, & cinericii coloris tolerabimus, dummodo sint ad Ecclesiasticam gravitatem compositæ. Declaramus tamen, hujusmodi vestes non variis imbutas coloribus, licet hi subobscuri sint, & cinericii, sed uno tantum colore distinctas gestari posse. Una porro sit vestis diversi coloris, nimirum tunica manicata, vulgo *Giubba*, quam in itinere, & rure induere possint, alia enim indumenta omnino sint nigri coloris, prout in Edicto *sub dicto num. XV.* statuimus. Hæc autem vestis, tametsi a Nobis toleretur, volumus nihilominus, ut etiam in casu itineris, ab eisque, qui in pago, vel oppido rusticandi caussa morentur, omnino deponatur, ubi velint ad Ecclesiam accedere, vel Sacrificium absoluturi, vel alicui functioni operam daturi, prout *in Capite de Sacrificio Missæ* generatim præscripsimus.

At satis non est, ut quis coloris nigri vestimenta perpetuo deferat. Illud enim præcipue, & ulterius volumus, ne vestimenta ipsa alterius formæ sint, quam quæ modestiam, de-

(a) Syn. 2. Borg.

decentiamque præſeferat, non exquiſitam nimium elegantiam, non vanitatem, non *perpetuo* variantem, & perſæpe impudentem corrupti ſæculi uſum, a quo ipſi etiam Laici bene morati, & graves prudenter abhorrent. Pileum non elata, & turrita, ſed depreſſa forma deferant, Calceos geſtent nigri coloris, fibuliſque conſtrictos, quæ nec pretioſæ ſint, nec ejus magnitudinis, quam alias prohibuimus juxta Edictum in *Appendice* relatum *num. XV.*, iterumque prohibemus. Qui in hæc Decreta, & illa, quæ ſuperiori capite ſunt poſita, deliquerit, ita habeatur, ac ſi in habitu Clericali non incederet, ac propterea præſcriptis poenis punietur.

Ut ſeſe Clerici excuſent, Sartorum culpæ tribuunt, ſi quod ad veſtium formam prophanam nimis corripiantur. Ut huic effugio occurramus, juxta Decretum ab *Archiep. Alexandro Borgia latum in ſecunda ejus Diœceſana Synodo*, inhibemus, ne ullus Sartor ſub poena Carceris veſtes Clericorum diverſimode conficiat. Porro ne ignorantiam hujus legis ipſi Sartores producere valeant, mandamus, ut intra menſem Vicarii Foranei hoc Decretum iis, qui in ſua regione extant, Sartoribus opportune pandant, imo in eorum Officinis ſcripto infigant, eoſque Nobis, vel Vicario Noſtro Generali ſignificent, ſi ſecus egerint, ut ad Carcerem illico jubeamus adduci.

Vetitum ſemper Clericis, ne comam nutriant. Uſum igitur pulveris cyprii, aut alterius generis, prout alias ediximus, reprobamus. Nil contra ſtatuimus, ſi ex neceſſitate, ad arcendas nimirum capitis humiditates, non ex vanitate

id

id agant, dummodo hujusmodi pulvere ita conspersi in publicum non prodeant, ut ipsa vanitas appareat. Potissimum vero ita compositi Altari non ministrent, neque Sacrum absolvant (*a*). Uti vero concinnatos, & olentes nolumus Clericos, ita neque patiemur, ut inordinati, ut sordidi, ut agrestes incedant. Tonsuram demum, & Clericalem coronam patentem semper deferant, prout cujuslibet congruit Ordini, eaque sæpe renovetur, ne secus agentes gravissimis poenis, quæ a Canonicis Sanctionibus sunt inflictæ, afficiamus.

CAPUT II.

De Capitulis, & Canonicis.

QUi olim cum Episcopo communem Clerici ducebant vitam, divinisque Officiis operabantur, ob eam, quam servabant, Disciplinæ regulam, Canonici fuerunt appellati. Propterea contiguas Cathedralibus habebant domos, quarum quædam supersunt hodie nunc, & Canonicæ Domus adhuc vocantur. Quamvis autem communio vitæ jamdiu cessaverit, & ii seorsim degere cœperint, nunquam cessavit tamen communio regulæ, unde nomen adepti sunt, quemadmodum cos

(a) Sec. Diœc. Syn. Borg. pag. 49.

eos Ivo ille Carnotensis monebat (a) scribens: *Ideo Canonici appellati estis, quod Canonicas regulas velle vos observare, ceteris altius devovistis*. Hi ergo, tamquam electa Cleri portio, Episcopali Cathedræ propius adhærent, atque Assessores Episcopi, huic & consilio, & opera in Pastorali Regimine præsto sunt, & Senatum illum constituunt quem priscis temporibus, ut ex S.Cypriano potissimum eruimus, Presbyteri, & Diaconi constituebant. Sunt vero & alii Canonici, qui non Cathedralibus addicti sunt. Hi vero a jure Canonico Canonici simplices nuncupantur (b); in omnibus tamen, quæ Divinum cultum respiciunt, ita sese gerunt, ac iis qui Cathedralibus inserviunt.

Porro omnium, qui Canonici sunt, commune, præcipuumque munus est in hac militanti Ecclesia, Psalmis, & Hymnis triumphantem illam æmulari quæ Deum Trinum, & Unum æternis laudibus celebrat. Quamobrem se tales exhibeant oportet, ut ex eorum Canticis fumus veluti quidam aromatum in faciem Domini ascendat; quod quidem recte fiet, si ad vivendi normam, quam nomine significant, vitam, moresque conformabunt.

Hinc illius Disciplinæ, quam Nos de Vita & Honestate Clericorum tractantes restituere, ac firmare conati sumus, ita studiosi sint, ut ejus Magistri esse Sacerdotibus, & Clericis omnibus videantur. Quod sane quamvis tum de singulis Canonicorum Collegiis, quæ ad ornamentum, & decus perampla Nostræ Diœcesis, Sexdecim, & quidem fere omnia In-

(a) Ep. 69.
(b) De Concess. Præb. cap. 9.

Insignia numerantur, tum fidentius, meritoque Nobis pollicemur de optimis Confratribus nostris, qui Metropolitanum Capitulum componunt, quosque peramanter amplectimur. Ad conceptam nihilominus spem hujusmodi magis magisque in dies alendam aliqua juvabit attingere, ut, si forsan in desuetudinem abierint, reassumantur, & in posterum majori cum diligentia, & fervore observentur.

Curet ergo unusquisque Canonicus, ut Gregoriani cantus modulationes probe calleat, ac propterea in singulis Collegiatis Ecclesiis Chorales Libri adsint omnino. Statis horis, & diebus ad normam Tabellæ (quam perpetuam vocant; quæque pro arbitrio, neque ad tempus, Nobis inconsultis, vel in minimo immutari queat) Choro se sistant, iis, quas deferre jus est, induti vestibus, modestiam, & silentium servent exactissimum, mentemque, cor, sensus, corpusque ita componant omnes, ut nihil in ipsis deprehendatur, quod religionem, & pietatem non sapiat. Divinis recitandis laudibus non cursim, non festinanter, quod abominabile, & indignum est, sed vocibus apte compositis, alacriter, distincte, factaque pausa in medio uniuscujusque Psalmi versiculo omnem operam præstent, adhibeantque. Porro hæc ita gerant, ut sequens versiculus a parte Chori antea non inchoetur, quam prior ab alia plene fuerit absolutus.

In Choro unusquisque locum suum petat, eumque non deserat, quousque laudes divinæ persolvuntur. Si gravis, & justa, aut rationabilis caussa urgeat, ut quis a Choro discedat, id non liceat, nisi a Digniori, aut a Præfecto Chori, sive ab eo, ad quem ex Ecclesiæ consuetudine spectat,

venia petita. A Choro autem tum discedens, tum illuc revertens Altari caput inclinet, ac adstantes in ipso Choro hinc inde salutet. Quod et adamussim servetur ex Cærimoniali Episcoporum, ubi quis, inceptis jam laudibus, ad eumdem Chorum accedit. Unusquisque autem in suo loco consistat non sola corporis præsentia, nec mutis labiis, neve precationes dicat ea voce exiguissima, quæ nec ab eo quidem, qui sibi proximus est, audiatur. Sciant igitur distributionum emolumento, etiamsi non mulctentur, privari eos, qui divinum officium in Choro alta voce non persolvunt.

Nemo hoc precationum tempore nullas epistolas, nullos libros legat, nemo confabuletur, nemo dormitet, ac nemo horariis precibus risus admisceat. Chirothecas, aliaque manuum indumenta non deferat, minusque cum ocreis ad Chorum accedat, ibive consistat. Dum Sacrum Conventuale, de quo inferius, peragitur, officium privatim nec ipse, neque cum Socio recitet, ne discordes sint actus, nec unus ab altero discrepet, ac propterea, ubi ordo sic postulat, surgant omnes, capita aperiant, inclinentque, ac genua flectant, quocumque abusu, quavis tolerantia abrogatis. Si in iis, quæ tam in hoc capite, quam in binis, quæ præcedunt, quis deliquerit, uno puncto singulis vicibus mulctetur.

Diximus superius, ob justam, gravem, aut rationabilem caussam facultatem esse a Choro discedendi; Sed jam declaratum est, inter hujusmodi caussas non recenseri, si quis ratione administrandi Pœnitentiæ Sacramentum, vel privatam Missam devotionis gratia celebrandi egrediatur, quem idcirco tamquam absentem haberi mandamus. Id tantum permit-

mittimus, ut unus, aut alter Sacrum agere possit, divinis quoque Officiis durantibus, Adventus, & Quadragesimæ tempore, ita tamen, ut immediate ante, vel post concionem ad unam Populi commoditatem celebretur. Sed etiam accedente rationabili caussa, quivis habeatur tamquam absens, si necessitatis obtentu frequenter, ac per singulos de mane dies ita extra Chorum abeat, moramque trahat, ut post tertiam horæ partem, aut ultra semiquadrantem revertatur. Ac proinde conscientiam ejus, qui ad absentiam, et tarditates notandas est electus, qui Punctator vocatur, stricte oneramus, ut nempe eos, qui hæc, vel similia commiserint, punctare pro rata absentiae omnino non omittat.

Cum Missa Conventualis Canonicis horis aequiparetur, imo sit earumdem quasi finis, ad quem ipsae horae diriguntur, Sacrum idcirco Conventuale pro iis, qui de singulis Canonicorum Collegiis bene sunt meriti, in Metropolitana, et Collegiatis Ecclesiis ad eam formam, quam Benedictus XIV. in Constitutione: *Tum semper*: declaravit, per singulos dies cum cantu solvatur. Omnes autem nedum Praebendati, ac Beneficiati, sed etiam Canonici respondeant ei, qui Sacrum ipsum agit. Iis diebus, quibus Missalis rubrica jubet, ut non una, sed secunda, et quandoque tertia Missa Conventualis fit celebranda, omnino hujusmodi liturgicae leges serventur, ac singula sacrificia praesente Choro, et cum cantu habeantur ad formam Benedictinae Constitutionis, quam supra commemoravimus. Ab hac autem Constitutione recedendum non est, nisi diversimode suadeat Testatorum mens, vel talis consuetudo sit, vel tale privilegium, ut Apostolica Sedes pro-

barit, quemadmodum per Encyclicas Literas ad mentem S. Congregationis Concilii, et relatas in *Appendice num. XVIII* nuper singula Canonicorum Collegia monuimus.

Porro cautum est, et definitum, ut prima ex ipsis Missis Benefactoribus in genere attribuatur. In Reliquis laudata servetur Constitutio Benedictina, qua pariter definitum est: *Laudandos, & confirmandos esse quotquot sponte sua secundam, aut tertiam Conventualem Missam pro Benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum Ecclesiis vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent. Ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundae, tertiaeque Missae Conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis Ecclesiae Benefactorum in genere non obliviscantur:* At applicanda sunt ex utriusque *Concilii Provincialis Firmani* Decretis, & ex lege Concilii Romani bina Anniversaria, quae tam in Metropolitana, quam in ceteris Collegiatis sunt persolvenda, unum nempe prima die post omnium Fidelium Defunctorum commemorationem pro Episcopis, & Archiepiscopis hujus Firmanae Sedis defunctis, quod ab illo sit distinctum, quod defunctis Canonicis, sive aliis est attributum; aliud ea die, qua recens mortui Archiepiscopi dies emortualis revertitur. Hinc si hujusmodi leges alicubi non serventur, omnino servari mandamus, quacumque sublata consuetudine, quam abusum declaramus.

Dum Sacrum Conventuale solemniter, & ministrantibus Diacono, & Subdiacono celebratur, omnes Canonici, si ad-
fit

sit Cantorum schola, cetérique omnes de Choro bini, & bini Confessionem stantes absolvant, prout a Sacrum agente persolvitur; alioquin genua flectentes eidem adsistere teneantur, ceu generalis Rubrica Missalis, quam ab omnibus servari volumus, præscribit. Decet quoque, & magnopere refert, ut bini pariter, & bini invicem *Kyrie Eleison*, Symbolumque Fidei recitent, prout in circulis coram Archiepiscopo, si Sacro adsistat, persolvunt. Ritus enim hic nedum praxi communissimæ, quæ in Basilicis Urbis ceoterisque Insignibus Ecclesiis servatur, sed etiam Cærimoniali Episcoporum cohæret, ac propterea in Nostra Metropolitana, ceterisque Collegiatis Ecclesiis ritum ipsum, vel retinendum, vel instaurandum optamus.

Residentiæ legem servent accuratissime, qui Choro obstringuntur. Nemini ergo liceat a sua Ecclesia suoque officio abesse singulis annis diutius, quam tres Menses, hosque etiam interruptos, dummodo Constitutiones Ecclesiæ, cui sunt addicti, aut consuetudo longius servitii tempus non jubeant. At interdictum sciant hujusmodi vacationibus uti posse Adventus, & Quadragesimæ tempore, aut mobilibus, aliisque solemnioribus festis diebus, totaque octava Corporis Christi, quod ad horas vespertinas, feriisque Majoris Hebdomadæ.

Qui ergo memoratis diebus a Choro abfuerint, punctandos esse nedum consueta, sed triplo majori mulctà iterum edicimus, & statuimus. Hac etiam pœna afficiantur ii, qui die Festo Titularis, sive Patroni suæ Ecclesiæ a Choro vacaverint. Mulcta autem triplicata, quam statuimus, sive renovamus, ita intelligatur, ut si in aliquibus Coll[illegible]is mi[illegible]

sit tribus juliis argenteis, tanti nihilominus valeat, ac reipsa solvatur, ne ob pœnæ parvitatem quis legem facile contemnat. In iis vero Collegiatis, & Capitulis, ubi major sit, ea omnino servetur. Cum distributiones iis solum debeantur, qui statis horis interfuerint, reliqui idcirco carere debent. Sciant porro Capitulares, sibi invicem distributiones ipsas remittere, aut secum super his pacisci non posse ex Bonifacii VIII. Decreto, quod incipit = *Consuetudinem* =. Secus agentes, distributiones non faciunt suas, & ad restitutionem tenentur.

Qui ad absentiam, & tarditates notandas fuerint electi, quique Canonici Punctatores appellantur, diligentissime muneri suo respondeant, jurentque, antequam munus suscipiant, se integre, & fideliter id perfecturos. Bene compactum, ac numeratum librum habeant, in quo absentiæ ipsæ, & tarditates notentur. Quem quidem librum non Capitulo tantum, sed etiam Nobis, si requiramus, exhibere teneantur. Canonicus quoque Theologus Provinciæ suæ diligentissime respondeat, ac statis diebus, & horis tam Clero, quam Populo eam Sacræ Scripturæ partem, quam Nos designabimus, legat, & explicet ad eam formam, quæ in *titulo de lectione Divinæ Scripturæ* postrema Synodus præscripsit. Mandamus autem, inhærentes Decreto in Provinciali Synodo a Cl. Me. Alexandro Borgia lato, ut huic Sacræ Scripturæ explanationi tum Canonici, tum ceteri Presbyteri, qui Ecclesiæ Metropolitanæ, & Ecclesiis Collegiatis sunt adscripti, omnino intersint. Si abfuerint, ea punctatura afficiantur, qua, si Missæ Conventuali non interfuissent, punirentur.

Ca-

Canonicus demum Pœnitentiarius, quoties necessitas postulet, sed potissimum Quadragesimæ, Adventus, quatuor temporum, & solemnioribus item festis diebus, aliisque per Nos præscribendis, in Æde Metropolitana, ac in Sede ad hoc destinata, prout laudabiliter agit, assideat.

Capitularia comitia nunquam habeantur, nisi diviniis officiis prorsus absolutis. Ad ea statis diebus, & sæpius, si res postulaverit, Canonici omnes, iis induti vestibus, quibus adstant in Choro, conveniant, ac modestiam, & silentium servent. Capituli Præfectus, seu is, ad quem jure, aut consuetudine spectat, tractanda proponat. Cuilibet sententiam suam dicere liceat, sed Seniores primi, deinde juniores, ac nemo a dicendo impediatur. Ab hisce Conventibus absint jurgia, contentiones, & contumeliæ. Suffragia secreto ferat unusquisque, resque actas in Capitulo nemo pandat. Qui consulto ad Comitia non accedunt, vel iis nondum absolutis discedunt, nisi id egerint ex legitima caussa ab eodem Præfecto probanda, notentur, ac si eo die absentes a Choro fuissent. Munia quæ forte, vel ab ipso Capitulo unicuique Canonico deferuntur, suscipiant; renuentes vero trium aureorum nummorum pœna afficiantur.

Quanta sit Canonicorum dignitas, ut pote qui sunt illustrior Nostri gregis portio, superius commemoravimus. Quare non alii ad tantam dignitatem evehendi, quam viri doctrina, & pietate conspicui. Id per Nos præstabimus, cum Canonici, potissimum Ecclesiæ Nostræ Metropolitanæ a Nobis eligendi erunt: Enixe vero curabimus per testimoniales nostras literas, si ad Datariam Apostolicam renunciatio spe-

cta-

stabit, ac quoties ab eadem Coadjutores adsignandi erunt. Id ipsum curent, & præstent, qui tamquam Patroni jus habent nominandi; eas enim dotes, quas diximus, in eo, quem præsentant, spectare tenentur. Secus agentes vitium acceptionis personarum incurrunt. Illud perpetuo meminerint, quod Hadrianus PP. VI. ajebat: *Volo homines dare Beneficiis, non Beneficia Hominibus*: & antequam de nominatione deliberent, non desinant cum Apostolis orare: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris*. (a)

In reliquis tum Constitutiones, quibus Collegia quæque Canonicorum reguntur, serventur; tum ea omnia, quæ a Prædecessoribus Nostris, ac potissimum Jannotto Gualtieri, & Cl. Me. Cardinali Urbano Paracciani, quod ad Capitula, & Divina Officia persolvenda in suis Synodis jussa fuerunt, adamussim adimpleantur.

CAPUT III.

De Parochis.

EPiscopos in excolenda vinea Domini, ejusque Grege pascendo, Presbyteris adjutoribus, ut Senibus Populi utebatur Moyses, usos semper fuisse compertum est. Quenam

(a) Act. 1. 24.

nam vero tempore cœperint peculiares illis Ecclesias, tamquam fixas Sedes assignare, quærunt, sed inter se discrepant antiquitatis Ecclesiasticæ studiosi. Certum tamen est, Epiphanio, atque Athanasio testantibus, tum Alexandriæ, tum in pluribus Pagis extitisse Ecclesias, quarum regimini Presbyteri præficiebantur: Decem Athanasius numerat in Mareotide. Verum, subdit ille, in solemnioribus Festis Urbanarum Ecclesiarum Sacerdotes a Sacrificio abstinebant, ut populus omnis Episcopo divinis operam danti assistere posset. (a)

Crescente autem Fidelium numero, necesse fuit ut augerentur hujusmodi Ecclesiæ, quæ Parochiæ dictæ; Sacerdotes vero earum Rectores Parochi nuncupati sunt.

Horum multos numerat hæc ampla Diœcesis, quos in partem pastoralis Nostræ sollicitudinis assumptos & Nobiscum laborantes fraterno complectimur affectu; quorumque nomina in libro vitæ scripta esse in Domino speramus. De illis nunc agendum.

Præcipua Parochorum munera in eo sita esse, ut oves sibi concreditas exemplo, & verbo pascant, iisque Sacramenta ministrent, nemo est, qui ignoret: Laudabili itaque in primis vitæ ratione, virtutibus, ac morum disciplina omnibus præluceant; & quæ ediximus *de Vita, & Honestate Clericorum* recolant opportune, utpote, quæ ad ipsos, qui Duces sunt, & Pastores, potissimum spectant.

Conciones porro habeant ad Populum singulis saltem Domi-

(a) Thomass. Eccl. Disc. p. I. L. I. cap. 21. 22.

minicis, festisque diebus, qui de præcepto servantur, mane, & post lectum Evangelium. Doceant pueros, puellasque ea hora, sive matutina, sive pomeridiana, quæ pro diversitate Locorum Populo sit opportunior; Infirmos visitent, illisque in extremo agone versantibus adsistant. Cursim hæc attingimus, cum abunde de iis jam sermonem in superioribus Capitulis habuerimus. Hinc ne semel dicta, iterum repetamus, ad ipsa Capitula Parochos remittimus, & quæ potissimum de Sacris Concionibus, de Doctrina Christiana explananda, deque Sacramentis, & Sacramentorum administratione statuimus, volumus, ut ii sæpe meditentur, ac omni studio exequantur, & diligentia.

Ceterum si quis ex Parochis vel prædicandi, vel docendae diebus festis Christianae Doctrinae Officio per tres vices quolibet Bimestri deerit, pœnas a S. Canonibus inflictas, aliasque arbitrio Nostro statuendas subibit: Severe etiam in eos animadvertemus, qui segnes, qui morosos in administrandis Sacramentis se gesserint. Severissime vero in illum, ob cujus negligentiam quispiam sine Sacramentis decedat. Hinc mandamus, ut Parochi, audita alicujus, qui suo Regimini concredatur, infirmitate, eum adeant, eumque si gravis ingruat morbus, ad Pœnitentiæ, ceteraque Sacramenta tempestive recipienda adhortentur.

Quotidianas pro Populo ad Deum preces, & orationes effundant; ac diebus festis Sacrum pro eodem Populo omnino faciant, uti a Benedicto XIV. semel, ac iterum præscriptum est. Quolibet die Dominico ante Sacrum populo Aqua lustrali benedicant. Ipsius autem baptismalis Fontis bene-

nedictionem, non eo solum Sabbato quod Resurrectionis Paschi, sed eo etiam, quod dies Pentecostes præcedit, benedictionem peragant. Quod quidem in *Concilio Provinciali*, habito per Alexandrum Borgiam ad Ritualis Romani tramites sancte institutum, jamdiu tamen intermissum, omnino per Parochos omnes instaurari sancimus.

Candelas, Cineres, & Palmas rite a se ipsis benedictas distribuant. Sciant porro Parochi, nulla se lege teneri ut sacras ipsas Candelas, & Palmas ad laicorum domos deferant. Satis suo muneri facient, si iis, qui nullo justo impedimento morati in Ecclesiam convenerint, & Supplicationi interfuerint, impertiantur.

In id enixius incumbant, ut de statu & necessitatibus pauperum, & miserabilium, præsertim Viduarum & Orphanorum, qui in eorum Parochiis degunt, fiant certiores, & eorum calamitati, & egestati in primis subveniant, aliosque exemplo suo, & hortatu ad subveniendum impellant. Quidquid enim Parochi præter necessariam substentationem ab Ecclesia percipiunt, id egentibus distribuere, & in alia pietatis opera convertere tenentur: *Habentes alimenta, et quibus tegamur*, juxta Apostoli verba, *his contenti simus*.

Sed & Parochorum etiam officium esse meminerint, discordias componere, vitia corrigere, scandala si quæ in Parochia sunt, evellere. Inter quæ illud certe numerandum est, quod in pagis præsertim usu esse solet, in nocturnis illis situm congressibus, qui juvenes inter, puellasque hyberno præsertim tempore fiunt. Grave enim peccandi periculum hisce inesse pro comperto habuimus. Æque vero est

 im-

improbandum, Choreas Nuptiarum tempore vel alia opportunitate duci. Adversus hæc mala Parochi frequentissime insurgant, arguant, obsecrent, increpent, Nosque certiores faciant, si rei ratio postulaverit.

Potissimum vero inquirant in inhonestas & quæ scandalum præstant, amicitias. Moneant (quod onus ad ipsos præcipue spectat) semel, iterum ac tertio eos, qui iisdem amicitiis indulgent; qui si, monitis contemptis, in eadem vitæ ratione perdurent, documentum de his conficiant, & ad nostrum Vicarium Generalem mittant, ut secundum juris regulas coerceantur.

Hæc sane omnia præstare Parochi minime poterunt, si residentiæ legem a Tridentino Concilio promulgatam non adimpleant. Assidue itaque resideant, quamvis idoneo Adjutore gaudeant, & residere minime intelligantur, nisi parochiales incolant ædes, etiamsi domesticas quis habeat. Si nulla sit ædes Parochialis, vel in eo versetur statu, ut habitari nequeat, domum Ecclesiæ proximiorem sibi comparet. Si quis Parochorum ultra triduum a sua Ecclesia abesse velit, id sibi haud licere sciat, nisi Nostra, vel Vicarii Generalis facultas intercedat, quam ex gravi justaque caussa dumtaxat concedemus. Qui secus egerit, pœnas a jure inflictas, aliasque a Nobis addendas se noverit daturum.

Quamquam per triduum Parochis indulgemus, ut, Nobis inconsultis, si justa subsit caussa, abesse possint, id tamen minime cuipiam liceat, nisi sit Presbyter, qui ejus vices expleat. At hæc triduana absentia non sit frequens, prout fieri a nonnullis Parochis deprehendimus; quare edicimus, ut

ut semel tantum per Mensem hujusmodi facultae uti possint. Si secus egerint, pœna unius aurei nummi Pauperibus distribuendi punientur.

Animarum curam sibi commissam non per alios, sed per se ipsos, quantum præstare poterunt, diligenter gerant. Adjutor enim datur, ut suppleat dumtaxat, quod exequi Parochus nequit. Eos porro adjutores sibi assumant, quos ut habeant, vel jure, vel consuetudine, vel ex necessitate obstringuntur. Si desides fuerint, nullaque probabilis caussa eos excuset, per id temporis spatium, quo adjutore caruerint, id totum rependent emolumenti quod eidem adjutori solvissent. Exactam vero pecuniam vel pauperibus Parochiæ vel aliis piis locis arbitratu Nostro addici mandabimus.

In singulis Parochiis adsit Archivium, in quo de more ducumenta omnia, quæ ad singulas ipsas Patochias spectant, diligenter adserventur. Potissimum reponantur ibi tam antiqui, tam recentes Codices, bene compacti, et ritè scripti, in quibus nomina eorum referuntur, qui baptizantur, qui confirmantur, qui matrimonia contrahunt, quique moriuntur. Habeant rursus Parochi Rituale Romanum, ac nocturna, diurnaque manu versent Catechismum Romanum, pro ipsis potissimum editum, & hasce Synodales Constitutiones, quas sibi comparent omnino.

In Parochiis conferendis ea nobis erit norma, quam Concilium Tridentinum, & Benedictus XIV. tradiderunt. Meminerint autem ii, qui in hac Synodo delecti sunt Examinatores, non solius scientiae, & doctrinae habendam esse rationem. Ceteræ enim animi dotes sunt pensandæ in iis,

iis, de quorum idoneitate ad exercendam Animarum curam periculum faciunt, ut idem monet *Benedictus XIV*. Si secus agerent, & solam literarum peritiam expenderent, ac de ea solummodo judicarent, præter gravem culpam, quam contraherent, latum ab ipsis judicium nullius roboris, ipsaque collatio irrita foret. Nos sane, quando viduatis Ecclesiis solatium novi Pastoris daturi erimus, id semper mente revolvemus, quod Petrus Blesensis ad Octavium Cardinalem in Anglia Legatum scribebat: *Ædifica, planta in Ecclesia Dei, quos humilitas, quos innocentia, quos vita probatior commendat, portantes pacem, illuminantes patriam, omnibus vitę æternæ præmia poscentes*: (a)

Electi ad Parochias, antequam munus suum assumant, per decem continuos dies in hac Missionis Domo Spiritualibus Exercitationibus vacabunt, ut ad gravissimum, quod subire debent, Ministerium, quantum per eos fieri potest, recte se disponant. Assumpto vero munere, præclarum illud Gregorii Magni monitum animo volvant, & opere compleant: *Curandum quippe est, ut Rectorem subditis, & Matrem pietas, & Patrem exhibeat disciplina. Atque inter hęc sollicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. Nam disciplina, vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed erga subditos suos inesse Rectoribus debet, & juste consulens misericordia, & pie sęviens disciplina. . . . Sit Amor, sed non emolliens, sit rigor, sed non exasperans, sit zelus, sed non*

(a) Baron. ad Ann. 1187.

non immoderate ſeviens, ſit pietas, ſed non plus, quam expediat, parcens, ut dum ſe in arce regiminis, juſtitia, clementiaque permiſcet, is, qui praeeſt, corda Subditorum, & terrendo demulceat, & tamen ad terroris reverentiam demulcendo conſtringat. (*a*)

Si quis ex Parochis ægrotet, eum Parochus vicinior inviſat, omnique Sacerdotalis Charitatis officio proſequatur. Defunctis vero Parochis, Parentalia is perſovat, ad quem de jure, vel conſuetudine ſpectat.

CAPUT XV.

De Vicariis Foraneis.

QUæ Epiſcopi ob Diœceſis amplitudinem, vel multiplices curas præſtare nequeunt, per alios ſaltem curare debent, ut perficiantur. Antiquitus aderant in Oppidis, aut Villis Chorepiſcopi, quorum vicaria opera in pluribus Epiſcopi uti ſolebant. Hiſce vero ob graviſſimas cauſſas jamdiu ſublatis, in more poſitum fuit, ut probatis Viris per Diœceſes conſtitutis, partem quamdam ſuarum ſollicitudinum ipſi Epiſcopi committerent, qui Vicarii Foranei appellati ſunt.

Ubi autem multa Meſſis, non pauci requiruntur Operarii. Hinc

(a) S. Greg. Paſtor. p. II. cap. 6.

Hinc cum plures habeamus Vicarios Foraneos, quibus tamquam cooperatoribus in agro Domini utimur, eosdem in Domino rogamus, & obsecramus, ut suo quam diligentissime munere fungantur, Deo rationem reddituri, & severam quidem, si vel negligendo, vel connivendo defecerint, Gentium simulacra imitantes, de quibus in Psalmo scriptum est: *Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient:*

Quales esse debeant, & quid agere teneantur, paucis quidem, sed graviter statuit Romanum Concilium: *Sint doctrina, pietate, & prudentia præditi, qui pro Deo, & propter Deum Evangelium non erubescant, sed de Clericorum, & Laicorum vita, ac moribus, & quomodo Parochi, aliique Animarum Rectores in Pastorali Officio se gerant, diligenter inquirant, & in laternis scrutentur; Ad Episcopos fideliter delaturi, num Clerus, & Populus, ut decet, vivant, num proprius in Ecclesia cultus adhibeatur, num Supellex sacra præcipue debito nitore conservetur, & Visitationum Decreta suę sint executioni mandata:* (a) Præstent igitur hæc omnia Vicarii Foranei, quantum in ipsis est, ac ut ab iis, ad quos pertinet, reipsa præstentur, incumbant.

Habent Vicarii Foranei ea omnia, quæ ab ipsis agenda sunt; Nihilominus aliqua pressius, & peculiariter iisdem præcipienda arbitramur. Inquirant itaque, an Parochi Sacramenta tum infirmis, tum bene valentibus sedulo ministrent, an diebus Festis semper, & feriatis frequenter Sacrum agant, an

(a) Con. Rom. tit. 7. cap. 2.

an pueros, ac adultos etiam, si rudes, statis temporibus in Doctrina Christiana edoceant, ac inter Missarum solemnia Conciones habeant, in quibus Edicta promulgent ad Populum, an iidem, ceterique, ad quos spectat, Synodales hasce Constitutiones, ac Decreta in actu S. Visitationis edita exequantur, denique utrum in singulis Parochialibus Ecclesiis jugiter resideant. Si quos negligentes in aliquo ex hisce deprehenderint, eos paterne moneant; Si moniti in desidia perseverent, id ad Nos opportune, & quam primum denuncient.

Instent vero quammaxime, ut dies festi debita religione colantur, ac si quos deficere noverint, mulctam jam indictam a transgressoribus omnino, & nulla habita personarum ratione repetant. Bis per annum super implemento Missarum juxta Nostrum Edictum inquirant diligentissime, ceteraque adimpleant, quæ in Capitulo *de Legatis piis* præscribimus. Videant num in Monasteriis Clausuræ Leges rite serventur: Potissimum vero in iis Monasteriis, quibus onus est deponendi quotannis aliquam pecuniæ summam pro dirimendo ære alieno, quod legitime contraxerint, exquirant ab Abbatissis, utrum oneri ipsi fuerit satisfactum, Nosque certiores omnino reddant.

Nulli porro parcant diligentiæ, omnemque adhibeant conatum, ut res, & locorum piorum fructus bene, fideliterque administrentur. Caveant omnino, ut singulis annis Administratores religiosarum Sodalitatum, aliorumque piorum Locorum, prout præscripsimus, accuratam reddant rationem. Si ratio hæc ultra præfinitum tempus differatur, ab ipsis Vicariis Foraneis, si Officio desint, mulctam nummorum *decem* repetemus.

Adsint vero ipsi annuis calculorum revisionibus, tamquam a Nobis specialiter delegati, etiamsi redditio rationis sit aliis facienda; Adsint non perfunctorie, sed Codice dati, & accepti diligenter discusso, sententiam demum, si nulla occurrat difficultas, obsignent. Illico, & absque ulla cunctatione curent, ut Administratores solvant, vel reipsa deponant, si quid residuum penes ipsos, dispunctis calculis, existat. Pecuniæ demum, quæ ab Ecclesiis, aut piis locis sunt occupandæ, invigilent, ne otiosæ in ærario sint, sed quamprimum in rebus utilibus, & frugiferis erogentur.

Diligentissimi quoque sint, & attente studeant, ne Eleemosynarum Quæstores, qui per Loca Diœcesis subdole eas extorquent, quæritare præsumant, sed illos iis modis coerceant, quos in titulo *de Eleemosynarum Quæstoribus* præscribemus. Par iisdem sit diligentia, ut qui quæritandi facultatem a Nobis scriptam obtinuerint, conditiones in ea adjectas servent religiose.

Singulis mensibus præsint Cleri Congregationibus, in quibus ex prisco, & laudabili Nostræ Diœcesis instituto differitur de iis, quæ tum ad mores, tum ad ritus spectant. Responsa, quæ in scriptis singuli Confessarii, Sacerdotes, Clericique dare tenentur iis Theologiae Moralis, ac Rituum quaestionibus, quae quolibet Anno ad calcem Kalendarii proponuntur, ad Nos adamussim mittant, ac insimul indicem eorum, qui absuerint, & absentiae caussam significent. Si legitimo impedimento detenti, iisdem Congregationibus praeesse nequeant, alium subrogent, qui eorum vices expleat, ac diligenter prospiciant, ut hujusmodi Conventus

sta-

stratis temporibus omnino absolvantur, ac ut ea omnia, quae hac in re a proxime praecedenti Synodo jussa fuerunt, rite, ac recte procedant.

Si alicujus Ecclesiae Rector, qui sit Parochus, decedat, illico Nos de obitu reddant certiores, confecto indice, qui vulgo *Inventarium* dicitur, ubi nedum Supellectilem, aliaque ad Ecclesiam spectantia, sed res etiam domesticas describant. Libros, scripta, ac monumenta, clavesque Tabularii penes se retineant, donec Successor, cui rite illa tradat, superveniat. Si vero alicujus Beneficii Rector occumbat, onera, fructus, & rationem ipsius Beneficii referant. Hæc autem præstet Notarius Foraneus, si idem Vicarius erat Rector, missis tamen ad Tabularium Nostrum Actis, ac Scripturis, quæ ad Tribunal Archiepiscopale pertinere agnoscantur.

Super iis, quæ ab ipsis exquiremus, cito, & ingenue respondeant, quæque committemus, fideliter adimpleant. Sicuti delegata auctoritate utuntur, ita mandati fines non excedant. Quare in civilibus Causis, quæ ad Forum Ecclesiasticum spectant, jus dicant, si de summa agatur nummorum trium; abstineant vero, etiamsi agatur de tenuiori summa, si res in judicium deducta obligationes, & jura involvat, quæ ad tempus futurum referantur. Sententiam vero ferant in Causis cujuscumque summæ, quas proponant piarum Sodalitatum, Hospitalium, ac Monasteriorum Curatores pro exigendis dumtaxat annuis fructibus; item, ut ad solvendum illos compellat, qui è Syndicatoria sententia quidpiam piis locis, potissimum frumentariis, debeant. Acta porro civilia, quæ per latas sententias fuerint absoluta, in fine cujuslibet Anni ad

P 2 Nos

Nos trasmittant, ut in Nostro Tabulario tutius adserventur.

In Causis Criminalibus nullimode se immisceant, nisi id a Nostra Curia fuerit expresse demandatum, vel eo usque procedant, ut de facti veritate constare possit, si probationis argumenta, quae in promptu essent, interposita mora amitterentur: Sed illico ad Vicarium Nostrum Generalem rem omnem referant, cui querelas quascumque, quae ad Nostrum Tribunal spectant, sine cunctatione trasmittant.

Interdicta vero iis sit sub gravibus Nostro Arbitrio poenis quaecumque condonatio, seu compositio; multo autem magis ipsa querelarum, ac criminum occultatio. Si quam foeminam ex illicita Copula ventrem gestare tuto compererint, illico praeceptum de tuto partu ei, ejusque Parentibus, aut proximioribus expediant, ac praeceptum ipsum ad Nos quantocyus cum consueto praesentationis documento mittant. Evenientibus subitis casibus, quibus actu consulendum sit, ea adhibeant remedia, quae juxta rerum circumstantias necessaria, sed non gravamen irreparabile allatura prudenter censuerint: Et cum primum poterunt, de re tota Nos reddant certiores.

Iisdem, ac etiam eorumdem Pro-Vicariis, si eis dederimus facultatem absolvendi a peccatis in praesenti Synodo reservatis impertimur, intra tamen suae jurisdictionis fines, & dummodo sint ad Confessiones audiendas adprobati. Item ut consuetas preces ad pluviam, vel aeris serenitatem petendam indicere possint, annuimus; eosque demum, tum pro Pontificia Benedictione in Articulo Mortis aegrotis tribuenda, tum pro Ecclesiis Benedicendis, ac Sacris Supellectilibus, sa-

crif-

crisque dicandis Imaginibus, delegamus. Quoties in hanc Urbem quis eorum venerit, Nos adire non negligat, deque rerum statu, quæ sibi concreditæ sunt, opportune, atque accurate moneat, & si quid in sua Vicaria occurrat incommodi, cui remedium per Nos adhiberi debeat, patefaciat.

CAPUT V.

De Regularibus.

Qui mundi illecebris, & inquinamentis posthabitis, continentioris vitae institutum sunt amplexati, & divinis rebus sub suavi regularis vitae jugo arctiorem operam præstant, si vere vocati sunt, atque in vocatione maneant, plurimum Ecclesiae afferunt splendoris, atque utilitatis. Hi sunt, qui in vinea Domini & ipsi Nobiscum adlaborant, quique Pastorum subsidium sunt, & habentur. Hosce itaque Religiosos viros, qui diversis adscripti Ordinibus densa corona nos circumdant, & ornant, in primis amplectimur, amantissime fovemus, eorumque jura, ac privilegia sollicite tuemur. Eos deinde hortamur, ac obsecramus, ut cum saeculari Nostro Clero mutuam charitatem servantes, ad animarum salutem procurandam incumbant, ac ita vitam instituant suam, moresque componant, ut sui Ordinis pientissimos

ſimos Fundatores rebus in omnibus, omnique contentione imitentur. *

Quamquam hi ab Apoſtolica Sede pendeant, adhuc tamen ob curam ab eadem S. Sede Nobis delegatam, aliquam noſtrae ſollicitudinis partem efformant. Sed jam in hiſce Synodalibus Conſtitutionibus ea attigimus ſuis quaeque locis, quæ ad Regulares ſpectant; Hinc, ne ſemel dicta repetamus, ſibi Regulares ipſi ſervanda proponant, quae in iiſdem Conſtitutionibus, potiſſimum de Sacris Concionibus, de Sacramentis, Sacramentorumque adminiſtratione, de Sacrificio Miſſae, de Sacris Reliquiis, & Imaginibus, deque Templorum cultu ediximus.

Exteris, ignotiſque Sacerdotibus ne Sacrum agere in ſuis Eccleſiis permittant, ſi noſtrae Curiae non viderint ſcriptum Indultum. Abſque Noſtra facultate SS. Euchariſtiae Sacramentum extra ordinem, & publice non exponant, nec Populo cum eo benedicant. Item, ni Noſtra intercedat facultas, energumenos non exorcizent, nec Domos praeſertim Sabbato Sancto Aqua Luſtrali aſpergant. Severe eſt interdictum, ne Moniales ſine legitima facultate alloquantur. Alienos agros, & fruges benedicere, aut locuſtis, bruchis, ceteriſque hujuſmodi vermibus maledicere, praeſertim cum ſtola abſque facultate Parochi nequeunt.

Hæc indiſcriminatim commemoranda Regularibus duximus. In iis vero Monaſteriis, quæ ex nobiliſſima Conſtitutione: *Inſtauranda*: jam extincta, denuo in integrum fuerunt reſtituta, ſciant, qui in iis degunt, Noſtræ Juriſdictioni, ac Viſitationi ita ſubeſſe, ut etiam ſuper redditione rationis, quod

quod ad Monasterii fructus, & super implemento Missarum inquirere possimus (a). Sciant etiam eodem jure Nos potiri, si quæ sint Monasteria, in quibus juxta formam alterius Constitutionis : *Ut in parvis* : (b), & juxta Declarationes Sacrarum Congregationum actu non alantur sex Religiosi, iis pollentes dotibus quæ in memoratis declarationibus innuuntur.

Si quis Regularis, suæ vocationis immemor (quod Deus avertat) vel religioso sui Ordinis habitu dimisso, vel insciis, aut renuentibus Superioribus per Diœcesim divagabitur, utcumque id faciat, Canonica Auctoritate (c), tamquam sui Instituti Apostata, aut contemptor punietur.

Regularium Ecclesiæ, quibus Animarum cura conjuncta sit, in iis, quæ ad ipsam curam pertinent, Nostræ Jurisdictioni obnoxiæ cum sint, Regulares hujusmodi monemus, ut nihil eorum negligant, quæ Parochos exequi oportere alias statuimus. Nemo vero Regularium, nisi Nobis, instituto prius examine, approbantibus, & annuentibus, curam Animarum suscipiat; quæ enim ad illam spectant, jurisdictionis Nostræ sunt.

Restat hic, ut ad eos convertamur Parentes, qui temporalia tantummodo cogitantes, ad Regularem vitam amplectendam liberos omni arte suadere, & aliquando etiam per vim compellere non verentur : Hi Parricidæ potius, quam Parentes censendi sunt; Filii enim sua sponte ad supernæ voca-

(a) Constitutio Innocentii XII. Nuper.
(b) Constitutio Innocentii X.
(c) Conc. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 4. & 9.

cationis Bravium par est, ut contendant, cum Dominus tantummodo beneplacita faciat voluntaria oris eorum (*a*). In hujusmodi Parentum numero, ne quis e Diœcesi Nostra esse velit, omnes in Domino rogamus, & obsecramus.

CAPUT VI.

De Monialibus.

NUnc Nobis de Sacris Virginibus sermo habendus, quæ a Sæculi deliciis avulsæ, relictaque Parentum Domo, in Christi tabernaculis habitant, sacraque Cantica personantes, & spiritum piis meditationibus recreantes, Agnum sequuntur quocumque ierit.

Plura sunt in hac ampla Diœcesi Nostra Monialium Asceteria, quæ singula Nosmetipsi visitare non neglеximus, ut oculis videremus Nostris, recte ne omnia procederent, an aliquid occurreret reformandum: Res enim hæc est, quæ Nos maxime sollicitos facit, cum fidei, & diligentiæ Nostræ pretiosa hæc Gregis portio commissa sit, de qua cælesti Sponso rationem sumus redditori.

Regulas, ab Institutoribus propositas, Tridentinas leges, Pontificias Constitutiones, Sacrarumque Congregationum placita servari ab ipsis cognovimus; Paucula tamen animadvertimus unde statuenda duximus, quæ sequuntur.

Pres-

(a) Ex Ps. 118.

Presbyteris, qui apud eas sunt a confessionibus, diurnus victus a Monasterio nequaquam præstetur, etiamsi loco stipendii vel postuletur, vel obferatur: Sed ne volumus quidem, ut victum ipsum diurnum præsenti pecunia emere illi possint: Nulla item a Monialibus, nisi consueta, & a Nobis permissa sumant munera, nulla Monialibus ipsi largiantur.

Nemo ex ipsis, & nemo ex iis, qui extra ordinem designantur Presbyteri, aut quicumque alius, qui sit ad Monialium audiendas confessiones adprobatus, possit cum iisdem conferre, & confitentibus aures præbere, præterquam in Sede ad hoc destinata: Præcipimus propterea, ne in Loco ad colloquendum designato, vel quolibet alio confessionibus vacetur sub pœnis suspensionis, aliisque arbitrio Nostro infligendis. Sedem porro ipsam, tametsi una sit in quolibet Monasterio, satis esse censemus pro Monialibus, tam quæ ordinarium adeunt Confessarium, tam quæ peculiari se sistunt, si nimirum congruis horis, & temporibus res agatur. Quod si comperiemus, id vel nisi gravi cum difficultate, & incommodo, vel nullo pacto fieri posse, Nostrum tunc erit, ut secunda Sedes in singulis Asceteriis constituatur.

Præter Confessarium ordinarium dare consuevimus cuicumque Moniali petenti (inhærentes Constitutioni Sa: Me: Benedicti XIV., quæ incipit: *Pastoralis Curæ*:) alium quoque peculiarem Confessarium, qui per duas vices quolibet mense ipsius confessiones audire, & cum ea spiritualiter conferre possit. Sciant tamen ipsæ Moniales, quibus hujusmodi veniam erimus concessuri, si per unum, vel alium mensem eadem facultate non utantur, sibi integrum nequaquam esse,

illam in subsequentes menses traducere: Quamvis enim pro viginti quatuor vicibus in singulos annos generatim tribuatur, attamen distributam per singulos menses censendam esse decernimus.

Cuilibet Monasterio adsignari quoque solet Sacerdos, qui *Substitutus* appellatur. Sed declaramus hujusmodi Substitutos neque cum Monialibus pie conferre, nec illarum confessiones posse audire, nisi ordinarius Confessarius vel absit, vel adversa laboret valetudine. Idipsum quoque vetitum sit Presbyteris, tam qui ex ordine dantur, quam qui extra ordinem mittuntur, postquam scilicet quisque suo munere, & ministerio persunctus fuerit; Imo ne literas quidem ad quamlibet, quæ in dimissis Asceteriis commoratur, mittere iisdem liceat, etiamsi de rebus spiritualibus scribant, vel respondeant, nisi Nostra venia generatim intercedat: Quæ quidem facultas absque necessaria caussa denegabitur.

Solent quandoque aliquæ ex Monialibus a Sacra Pœnitentiaria privatas peculiares obtinere facultates, ut statis quibusdam vicibus possint peccata confiteri Sacerdoti sibi ipsis beneviso, dummodo *sit ex adprobatis ab Ordinario*. At sciant, non omnes indistincte assumere posse, sed eos tantum, qui fuerint a *Nobis in specie pro Monasterio, in quo degunt, ad ipsarum Confessiones audiendas adprobati*.

Quod autem ad rem œconomicam spectat, Nostram pariter requirit curam, ne quid discriminis ea patiatur. Id evenire potest ex duplici caussa: Primum ex improvida administratione, si nimirum fructus Monasterii vendantur, Syndicis inauditis, & inconsultis: Secundum ex immoderata sum-

ptuum

ptuum quantitate in Rebus nec utilibus, nec Monasterio necessariis. Præcipimus ergo, ut quoties Contractus, & Instrumenta super Rebus Monasterii conficienda erunt, toties advocentur Syndici, itemque per Diœcesim Vicarii Foranei, neque fructus Monasterii vendantur, nisi Syndicorum consilium, & adsensus accesserit.

Quod vero ad expensas, quatenus sint *extraordinariæ*, volumus, ne Abbatissæ præter summam scutatorum quinque quidpiam impendant absque Nostra auctoritate, licet sumptus ipsos ex fructibus super extantibus absolvere possent.

Multum quoque detrimenti in Monasteria derivaretur, si ex facili arbitrio Moniales, inconsulta Abbatissa, res aliquas ipsius Monasterii vel sibi vindicarent, vel aliis traderent. Hoc ipsis minime licet, cum ob paupertatis votum, quo se obstrinxerunt, nihil dominii, nihil proprietatis Moniales habeant. Nec vero sibi facile blandiantur, quod de re parva plerumque agatur: Ex parvulis enim, sed crebro repetitis, aliquod tandem, quod satis est, consurgit. Mandamus porro ipsis Abbatissis, ut horrea, & officinas, in quibus res Monasterii adservantur, sera, & clavi, nemini tradenda, occlusas retineant.

Si qua Monasteria ære alieno premantur, certaque exinde pecuniæ summa in arcam quotannis immittenda sit, uti Sacra Congregatio vel severissimis pœnis propositis districte jubet, ea in re diligentissime se gerant Abbatissæ. Quæ mandatis non paruerint, præter inflictas censuras, alias etiam, & præsertim privationis ab officio, pœnas subibunt. De summa deposita Vicarios Foraneos admoneant, qui si quam negligentem deprehenderint, Nos certiores reddant.

Ii omnes, qui Monasteriis inserviunt, quique ministri minores dicuntur, Factores nimirum, Famulæ, sive Mandatariæ, aliique hujusmodi, ac etiam Villici, qui agros ad Monasteria spectantes colunt, mandamus, ut singuli quolibet anno Mense Majo in Monialium Capitulo per secreta suffragia proponantur, sint nec ne in munere confirmandi. Si cui suffragiorum vi munus fuerit abrogatum, antequam de ipso munere dejiciatur, Abbatissa de re tota Nos certiores reddat. In singulis vero Capitulis suffragia non clanculum, sed in Monialium omnium conspectu numerentur.

Mandamus ulterius, ut post binos menses, a quo die præsens Synodus typis evulgabitur, singulæ Abbatissæ statum Monasterii activum distincte Nobis exponant, adhibita Syndicorum opera, nec non notam omnium onerum subjiciant una cum accurata descriptione Frumenti, Vini, Olei, cæterarumque Rerum, quæ pro victu Monialium, & usu Monasterii singulis annis erogantur, significato etiam numero Monialium, quæ in ipsis Monasteriis actu degunt. Hoc autem exquirimus eo animo, ut eas expensas, quæ haud necessarias, aut ex abusu inductas deprehenderimus, rationabili modo reformemus.

Si quid tandem acciderit, quod aliquod Decretum Nostrum requirat, opportune exarabimus. Interim eas in Domino rogamus, & obsecramus, ut recte per viam Domini incedant, & ad gloriæ coronam, quam Dominus Sponsis suis in æternum præparavit, consequendam strenue contendant.

CA-

CAPUT VII.

De Eremitis, Tertiariis, & Eleemosynarum Quæstoribus.

QUi solitudinis amore capti, non ut inertia diffluant, sed ut liberius Deo vacent, a sæculi curis, & ab iis, qui terrena sapiunt, omnino separantur, ipsi jure, meritoque gloriari cum Apostolo, ac dicere possunt: *Nostra autem conversatio in Cœlis est:* Et sane omni laude digni censendi sunt, cum Moysis, Prophetarum, Baptistæ, ac ipsius Christi Domini exempla, qui vitæ partem aliquam, vel in Montibus, vel in Desertis transegerunt, imitentur.

Hujus Instituti homines, modo Anachoretas, modo Eremitas vocitatos semper habuit, semperque probavit Ecclesia, quidquid Eterodoxi, aut Pseudophilosophi blateraverint, cum eos tamquam ignavos, ac societati inutiles, imo incommodos esse autumarunt.

Hæc etiam Diœcesis Nostra suos habet Eremitas, qui servitio alicujus Ecclesiæ, sive Oratorii sunt addicti. Sed quoniam nulla tam sancta res est, ut ea pravæ indolis homines turpiter abuti non possint, ideo ne quis eorum, tamquam Lupus sub ovina pelle in gregem nostrum irrepat, vel si irrepserit, nocere non possit, hæc quæ sequuntur, duximus præscribenda.

Nemo sive sit Laicus, sive Clericus custodiæ, & servitio alicujus Ecclesiæ, uti Eremita, præficiatur, nisi prius a No-

Nobis adprobationem reportaverit, etiamsi deputatio ad Laicos pertineat. Nemo vero Eremiticum habitum suscipiat, & assumat, si nostra facultas non intersuerit, quam in scriptis tunc erimus daturi, cum de ejus vita, moribus, & patria inquisiverimus.

Susceptum semel habitum nec commutare, nec dimittere audeat, Nobis insciis, habitumque ipsum ita deferat, ut ab eo discrepet, quo Regulares utuntur. Novum Eremitorium absque Nostrà venia nulli fundare liceat. Continuo in Eremo sibi adsignato commorentur, Ecclesiamque, quam custodiunt, nitidam, & mundam una cum Sacris Supellectilibus retineant. Bini in eadem Domo stare possint Eremitæ, sed non plures, nisi de Nostra facultate. Vitam autem ducant bonam, & Sanctam, Diebus Festis Christianæ propria in Parochia Doctrinæ intersint, ut edoceantur, si rudes, doceant vero, si sint instructi. Semel in Mense, nec non solemnioribus festis ad Parochialem ipsam Ecclesiam sacramenta suscepturi accedant, stipem quærant per loca tantum, quæ in literis patentalibus fuerunt iisdem adsignata. Neminem ad hospitium admittant, præsertim facinorosos homines. Contubernium Mulierum ita fugiant, ut ne Sorores quidem in Eremo pernoctare sinant. Ceterum demum, quæ in *Appendice Concilii Romani* præscribuntur, religiose servent. Si secus egerint, ex Eremitorio dejicientur, aliisque arbitrio Nostro pœnis punientur.

Parochi, in cujus jurisdictione degunt, monitis obediant, ac ei omnino subsint. Si occasio postulat, eos verbis corripiant Parochi, qui de Eremitarum vitâ, & moribus diligentis-

tissime inquirant. Demum praecipimus, ac Eremitae inaudito Parocho, ultra triduum a suis Hospitiis, sive mansiunculis absint.

Extant etiam in hac Dioecesi quaedam Mulieres, quae Tertiariae dicuntur, quippe quae alicui Regularium tertio Ordini sunt adscriptae sed in propriis domibus commorantur. Quod ad has servari volumus, quae S. Congregatio Episcoporum, & Regularium die 20. Decembris 1616. praescripsit. Ac propterea nulla Mulier ad habitum Tertiariae admittatur, ac recipiatur, nisi sit probatae vitae, bonisque moribus praedita. In aetate rursus, saltem quadraginta Aonorum sit constituta, de proprio habeat, unde non incommode vivere possit, & demum non cum aliis viris, quam cum Consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu sibi conjunctis habitet. Utrum autem recensitae qualitates in hujusmodi Tertiariis concurrant, declaratio ad Nos spectat, sine cujus proinde facultate in scriptis tradenda, res non agatur. Admissae vero ad habitum ita hunc deferant, ut a velo supra caput, a pectorali, & patientia ut ajunt abstineant; Alias a Nobis etiam per Censuras Ecclesiasticas ad ea indumenta dimittenda compellentur, ut eadem Congregatio praescripsit.

Cum autem proprii Parochi jurisdictioni hujusmodi Tertiariae subjaceant, nequeunt Regulares eis die Paschatis Eucharistiam ministrare, Viaticum, vel Extremam Unctionem deferre, minusque earum Confessiones excipere, si a Nobis non fuerint adprobati. Cum earum quaepiam decesserit, cadaver non efferatur, incolsulto Parocho; Imo sepeliatur in Parochiali, quatenus nullam sepolturam elegerit, vel in ipsis Re-

Regularium Ecclesiis non sit commune earum sepulchrum.

Tertiariæ sunt quædam Religiosarum Appendix ; ac propterea in via virtutum recte, & constanter incedant. Vanitatem in vestibus, crinibus, aliisque hujusmodi contemnant, ac frequentia virorum colloquia, & consortia devitent, præsertim eorum Regularium, quorum ordini sunt adscriptæ, qui vicissim ab ineunda cum illis familiaritate abstineant.

Quæstores eleemosynarum, qui olim erant, tum quod ad munus, tum quod ad nomen sustulit Tridentina Synodus (*a*). At quamvis eorum aviditas iteratis legibus in hac nostra Diœcesi fuerit coercita, attamen aliqui interdum erumpunt, vel subdole id agere moliuntur. Iterum hic edicimus, ne quis eleemosynas colligere audeat, nisi nostra in scriptis facultas. Si quis ergo, absque nostra venia frumentum mustum, oleum, legumina, ac alia hujusmodi quacumque ratione quæsierit, eum Vicarii Foranei in Carcerem detrudant, ac res collectas, in pauperum levamen erogandas, auferant. Sciant porro iidem Vicarii Foranei, Nos nunquam iis, qui campanas pulsant, dum procellæ imminent, facultatem quæstuandi in præteritum concessisse, nec ullo pacto imposterum concessuros : quod vel majori rationum pondere de birruariis, & executoribus cautum esse voluimus. Si secus agere quis audeat, Nobis opportune referant, ut severiores pœnas repetamus, & servetur Edictum adversus quaeritantes editum, quod *in Appendice num. XIX.* prostat.

Iis vero, quibus facultas a Nobis data fuerit pro Eleemosinis

(a) Seff. 21. cap. IX.

ſinis colligendis, injungimus, ut prius facultatem ipſam Vicario Foraneo loci oſtendant, qui in ipſis literis patentalibus de exhibita facultate teſtetur. Hac vero modeſte utantur, ac propterea ab imprecationibus, & minis abſtineant. Nec pluries, ſed ſemel tantum domos, aut agros circumeant, eleemoſynas quæſituri. Velata facie non incedant, & Sacrorum Corporalium thecas pro congerendis pecuniis non adhibeant.

Qui pro pio aliquo opere ſtipem, ſemper de Noſtra facultate, quaerunt, ſint viri bonae famae, nihil de ipſis eleemoſynis capiant, nomen Quaeſtoris non habeant, indulgentia non divulgent, nec concionentur, Sacras Reliquias non circumferant, nec Campanas, aliave Inſtrumenta pulſent, nec quidquam uti debitum, aut uſitatum poſtulent; Si quis deliquerit, graviſſimas arbitrio Noſtro dabit pœnas.

Noſtra porro non egent venia Religioſi vere Mendicantes, qui Monaſteria habent in Noſtra Diœceſi. Iis enim licitum eſt mendicare, ſeu ex eleemoſynis oſtiatim collectis vivere. Indigent tamen adsenſu Noſtro, ſi in Diœceſi Monaſterium non habeant. Caveant autem, ut non alios, quam ſui Ordinis Religioſos, vel Oblatos ad ſtipem quærendam mittant; Adhibeant denique certum in quæritando modum, nec ultra petant, quam quod vitæ tolerandæ neceſſarium ſit.

PARS QUARTA.

CAPUT I.

De Funeribus, & Sepulturis.

Xtrema Defunctis officia reddere apud omnes Nationes, ipsa docente natura, semper in more fuit. Nostra vero non interest inquirere, quo ritu unaquaeque Natio id praestiterit, aut nunc praestet. Haec Historicorum provincia est. Nobis de iis tantum, quae Christiana Religio, & spes futurae resurrectionis docent peragenda, tractandum occurrit. Sancta siquidem Mater Ecclesia, cum Christianorum corpora sacro digna honore censeret, de eorum funeribus pie persolvendis semper sollicita fuit. Cum enim ad immortalem illum Spiritum, cujus fuere habitaculum, adverteret, ut ad sacras Ædes deferrentur, & illis exequiarum suffragio parentaretur, sanctissime decrevit; Hoc enim pacto ii, quos in osculo Domini obiisse sperandum est, juvari possunt, ut a poenis, quibus forsan illis in profundo luenda commissa remanent, citius liberentur.

Nos in primis laudabilem illam quorumdam locorum consuetudinem commendamus, pulsandæ parumper campanæ statim ac aliquis in Parochia jamjam moriturus extremo in ago-

agone versatur, cum ita moneantur Fideles, ut eo temporis momento, a quo æternitas pendet, orationibus morientem adjuvent. Quæ quidem consuetudo ut ubique in Diœcesi hac Nostra inducatur, summopere optamus, Parochosque monemus, ut talem sonitum per ea tempora non omittant.

Curent vero Vicarii Foranei, ut in unoquoque Oppido, & Castro adsit is, qui munus sepeliendi mortuos exerceat, adsignato, si opus sit, honesto stipendio, quod ab una, vel altera ex piis Sodalitatibus rependatur. In id quoque intendant, ut viri viros, fœminæ vero fœminas, postquam fato cesserint, vestiant, & sepeliant. Nullum vero Cadaver terræ mandetur, prout jam jussum est in proxime præcedenti Synodo, nisi post horas viginti, si obitus ex morbo contigerit. Viginti autem quatuor horæ elabantur, si subito, aut violento casu quis occubuerit. Quod si citius foret sepeliendum fœtoris, aut contagii caussa, id non fiat, nisi peritorum judicio, & nisi saltem duodecim horarum spatium intercesserit, impetrata demum a Nobis, vel Vicario Generali in Civitate facultate, & a Vicariis Foraneis in Diœcesi.

Cum omnia Oppida, ceteraque loca Nostræ Dioecesis suis constent singula Territoriis, in quibus sparsim habitantes rusticanæ familiæ, agrorum culturæ destinatæ, longe distant a Parochiali Ecclesia, ac eam ob rem ab eorum domibus duci non possit funebris Pompa, volumus, ut (si non fuerit definitus) certus in singulis Oppidis, Vicisque constituatur locus, in quo cadavera, ex dissitis agris venientia, deponantur, exindeque consueta Processione efferantur. Interdicimus autem, ne vel ad Ecclesiam, ubi custodiae caussa cadavera

buntur, vel ad Ecclesiam, quo tumulanda deferuntur, accedant sub poena excommunicationis consanguinei, vel affines defuncti, praesertim mulieres, ut circa feretrum ploratus, & clamores emittant. Arceantur etiam a Parochis, si funebrem Pompam comitantes, prout fit a rusticis, hujusmodi ululatus edant.

Funus ne fiat, neque cadavera, etiam ad Ecclesiam Regularium ante Solis ortum, vel post occasum deferantur. Qua hora, & per quam viam cadaver sit efferendum, designent Parochi, etiamsi extra Parochiale templum cadaver ipsum sit tumulandum. Nemo autem, dum funus ducitur, sive sit ex Clero Sæculari, sive Regulari, per vias expectet, aut subsistat, ut eidem funeri sese adjungat; Sed omnes conveniant in Parochialem Ecclesiam, vel Metropolitanam, si Capitulum ad funebrem pompam accedat. Nemo, nisi exequiis, & mortualibus caremoniis penitus absolutis recedat, vel funalia, vel cereas candelas extinguat, aut amoveat. Nemo pileum, aut pallium ex Clericis, & Sacerdotibus deferat, nisi forte imbris copia aliter non ferat, vel noctu fiat ex Nostra auctoritate cadaveris elatio; sed omnes talari veste, & Superpelliceo sint induti, Parochi vero Stolam nigri coloris deferant. Qui secus egerit, cereis candelis, aliisque, si quæ sunt, emolumentis privetur, indicta poena arbitraria distributori, si candelas ipsas, vel pecuniam transgressoribus dederit.

Omnia autem tam in funebri Processione, quam in exequiis solvendis serventur adamussim, quæ a Rituali Romano præscribuntur; Lumine vero, & custodibus non careat cadaver,

ver, quousque Ecclesiasticæ non tradatur Sepulturæ. Sed curent Parochi, ac Ecclesiarum Rectores, ne iidem Custodes sub arbitraria poena in ipsa Ecclesia bibant, & comedant. Ecclesiasticorum cadavera, quæ semper deferantur ab Ecclesiasticis viris, eas sacras vestes habeant, quæ ex diversa Ordinis ratione singulis congruunt. Verum meminerint Parochi, iisdem vestibus, quibus Ecclesiastici induti in feretro jacent, esse omnino sepeliendos. Ad formam enim Arvenensis Concilii vestes ipsæ, semel ac Cadaveribus Ecclesiasticorum imponuntur, illico suspensæ remanent.

Pauperum, & miserabilium Personarum cadavera gratis omnino a Parochis sepeliantur. Eos autem dicimus pauperes, & miserabiles, quorum defunctorum in loculis parum invenitur, aut nihil, unde ipsorum impensa humari possint. A ceteris vero id habeant, quod vel ex honesta, & usu recepta locorum consuetudine, vel ex pactionibus Parochos inter, & Regularium Ordines, ac pias Sodalitates initis, vel demum juxta defuncti conditionem obferri solet. Duo autem quod ad pauperes, & miserabiles personas hic commendanda Parochis censemus. Primum, ne soli funus ducant, sed saltem alium Presbyterum, sive Clericum sibi vocent, cum quo Psalmos alternatim canant. Secundum, ut unum Sacrificium, præsente pauperis cadavere, vel sepulto, & quando fieri poterit, current in ejus expiationem celebrandum. Hoc autem onus iisdem non injungimus, sed hortamur tantum, iis adhibitis modis, quos innuit ***Benedictus XIV. in suis Instructionibus*** (a).

Pe-

(a) Instr. 36. n. 16.

Peculiariter vero quod ad hanc Urbem volumus, ut si ad funera, præter piam Sodalitatem associantem, sive una, sive plures vocentur, vulgo *Crocette*, sicuti candela cerea illarum Cruces donantur, ita & illa Parochi donetur, salvis ceteris Parochorum juribus, ceu passim fieri consuevit. Dum aliquod cadaver ad Ecclesiam, sive Oratorium piarum Sodalitatum defertur tumulandum, Confratrum esse solet, ut Missa cum cantu, præsente cadavere, ex proprio instituto hac pariter in Urbe interdum celebretur. Ex quo cum persæpe contingat, ut defuncti hæredes ab hujusmodi Sacro sese facile abstineant, mandamus idcirco, ut, ne fraus fiat Parochorum juribus, ad aliam diem Sacrum ipsum, quatenus eorumdem Parochorum non accedat adsensus, differant Sodalitates.

Cappellani qui huic Societati SS. Sacramenti sunt addicti, sicuti jure pollent, etiamsi non vocati, accedendi ex lege Synodali *Jannotti Gualtieri* ad omnes funebres associationes, ita seduli sint, diligenterque intersint, ubi de miserabilium, & pauperum funeribus agatur. Si desint, nullo accedente legitimo impedimento, a stipendio, quod iisdem a pia Sodalitate singulis annis persolvitur, id totum detrahatur, quod ea consuetudine in divitum funeribus lucrantur. Eorum itaque absentiæ notentur a Parochis, & Priore Hospitalis Infirmorum, ac in fine cujuslibet anni pandantur ejusdem Sodalitatis Administratori, qui propterea imminutum juxta absentias ipsas stipendium persolvat.

Is qui ad distribuenda in funeribus emolumenta a defuncti hæredibus præficitur, non sit rudis homo, nec Villicus, nisi saltem, veste piæ Sodalitatis indutus sit. Deceret sa-
ne,

ne, & nos optaremus, ut Clerici potius, vel Presbyteri ad rem hujusmodi agendam ab hæredibus assumerentur.

Tria saltem sint, in unaquaque Parochia Sepulcra, unum Ecclesiasticis viris, alterum Infantibus baptizatis, & ante usum rationis decedentibus, tertium demum pauperibus, & miserabilibus personis destinatum. Sed congruum est, & maxime convenit, ut quartum addatur, in quo viri pauperes a pauperibus mulieribus divisim sepeliantur. Porro ea forma sint constructa Sepulcra, quam in *titulo de Sacrosanctis Ecclesiis* præscripsimus. Iterum edicimus, ne in Choro, & Presbyterio unquam construantur, ac ab Altaribus ita sint remota, ut cubitis ad minus tribus a ligneis scabellis, seu ut vocant *Predelle*, ostium Sepulcri distet. Si quæ sint, quæ eo non distent intervallo hujusmodi Sepulcra, Altaria interdicuntur, donec, amotis sepultorum ossibus, terra repleantur, muroque obstruantur. Porro in Ecclesiis, quæ Nobis subsunt, nemini ullum Sepulcrum construere, vel constructum ullo modo alienare absque Nostra venia liceat.

Sepultura Ecclesiastica non retardetur, sive differatur a Parochis obtentu, vel componendæ quartæ funeralis, vel propter jus sepulturæ minime solutum. Arceant vero a Sepultura eos omnes, quos rituale Romanum commemorat. Sed nihil hac in re, si casus obtigerit, deliberent, nisi Nos certiores reddiderint. Si quis in puteo, & flumine submersus, aut laqueo suspensus, veneno, seu ferro interfectus invenitur, sepultura privari non debet, nisi aliunde constet, se ipsum voluntarie, & sui compotem necasse. Sed hac in re quæ nostra mens sit, item exquirant Parochi, qui tamen in

in suis literis circumstantias omnes diligenter enarrent, potissimum qualitatem personæ, locum, tempus & gesta ante obitum explanent, ut exinde dignoscere possimus, an quis se deliberate necaverit, vel ex amentia, seu mentis alienatione id contigerit.

In omnibus Parochiis, saltem in iis, quæ angustum templum, vel frequentem plebem habent, construatur cœmeterium, a Nobis tamen, vel auctoritate nostra benedicendum, in quo recondantur non tam ossa Defunctorum, cum ex sepulcris educuntur, verum etiam cadavera primo inferenda, si proprio careant Sepulcro. Sint vero proxima Ecclesiæ, si fieri potest, sint muro undequaque clausa, ac cratibus ferreis munita, ut potissimum Animantia prohibeantur ab ingressu. Supra januam, cujus clavis sit penes Parochum, Crux apponatur, & inscriptio fiat *Cœmeterium Mortuorum*. Arbores, si quæ sunt, succidi oportet, olera, fruges, herbasque succrescentes evelli, ac igne comburi mandamus. Porro sciant omnes, constructionem, & restaurationem, sive ampliationem Cœmeterii ad Parochianos spectare, etiamsi dives sit Parochus, expurgationem vero ad Parochum ipsum (a). Singula demum, quæ quod ad funera, exequias, & sepulturas tam in proxime præcedenti Synodo, quam in Synodalibus Decretis *Jannotti Gualtieri* continentur, auctoritate Nostra confirmamus, ac in suo esse robore declaramus.

CA-

(a) S. C. apud Nicol. V. Cœmeterium n. 4. apud Monacell. tom. 2 p. 23. n. 95.

CAPUT II.

De Legatis Piis.

QUi Defunctorum Animas, quæ in *Spiritu Judicii*, *&* *in Spiritu ardoris* (*a*) in Purgatorio cruciantur, donec *quadrantem novissimum* divinæ reddiderint justitiæ, piis adjuvant operibus, eos Dominus per Isaiam Prophetam Angelos vocat, dum ait: *Ite Angeli veloces ad gentem convulsam, & dilaceratam, ad gentem expectantem, & conculcatam*. Pietas itaque, & misericordia, quibus mortuorum animæ levantur, cum præcipue in piis Legatis effulgeant, deplorandum profecto est, fideles quandoque reperiri, qui in iis peragendis, quæ ad ipsas animas jure pertinent, segnes sint, nec super contritiones earum compatiantur. Procul dubio judicium sine misericordia subibunt, qui non fecerunt misericordiam.

Ipsa Legata pia, vel Defunctorum expiationem, vel viventium subsidium, & commodum respiciunt. Cujuscumque naturæ ea demum sint, sine gravi culpa negligi nullo modo possunt, sed juxta Testatorum mentem fideliter, diligenterque sunt executioni mandanda. A sacris porro Canonibus, ac potissimum a Tridentina Synodo Episcoporum vigilantiæ, & prudentiæ commissa est piarum dispositionum executio, quæ

(a) Isaj. 4.

nimirum ad Dei cultum, vel Animarum salutem, pauperumque spectant substentationem; adeo autem est commissi, ut nullatenus ab ipsa executione possint excludi, tametsi Testatores ipsi Episcopis id expresse vetuissent.

Inhærentes igitur hisce legibus, eos omnes, qui ad pia Legata, piasque dispositiones adimplendas sunt quovis nomine obstricti, paterne monemus, ac serio quoque iis mandamus, ut onus, quo gravantur, quamprimum executioni demandent. Si ex culpa negligant, pœnas, quæ res Ecclesiasticas occupantibus sunt inflictae, se contraxisse sciant.

Si cuipiam (præsertim si inter Ecclesiarum Rectores adnumeretur) constet, vel in posterum constiterit, ullas esse pias dispositiones Testamento, Legato, vel alia qualibet ratione confectas, quæ impletæ nondum fuerint, ut Nos, vel Vicarium Nostrum Generalem mature admoneat, majori, quo possumus, studio præcipimus. Mandamus autem Tabellionibus, Notariis, imo cuilibet, qui pia Legata per donationem, Testamentum, Codicillum, vel alio quolibet modo conscripserit, ut eademmet Nobis pandant intra duos menses; quæ autem in posterum conscripturi erunt, intra quindecim dies a die, quo Testatoris obitu ipsis innotuit, enumerandos. Qui contra fecerint, excommunicationem majorem elapso termino, quam Nobis reservamus, hac Synodali lege decernimus.

Nemo, cujuscumque sit conditionis, sub eadem excommunicationis pœna audeat, vel alicui metum ingerere, vel esse impedimento, quin ad pias caussas libere disponere possit. Eamdem poenam sancimus adversus quoslibet hæredes, & Legatarios, qui, legitima caussa cessante, Legata, pias dispo-

spo-

ſpoſitiones, & onera Miſſarum diutius anno ab injunctæ obligationis die neglexerint adimplere. Si forſan id egerint malitioſa, & irrationabili ſpe allecti obtinendi a Reverenda Fabrica Sancti Petri de Urbe tranſactionem, ſeu compoſitionem, vel condonationem, & reductionem a Sede Apoſtolica, ſciant urgere contra eos Conſtitutionem Innocenti XII.

Nemo item, cui piorum Legatorum procuratio, vel executio incumbit, præſertim ſi Sacrificia, ſi dotes, ſi eleemoſynas reſpiciant, quidpiam vel minimum imminuere, vel ſubtrahere, multoque minus in rem ſuam quocumque obtentu convertere audeat. Statutas eleemoſynis, dotes, ſtipendia pauperibus, puellis, Sacerdotibus integre omnes perſolvant. Si ſecus egerint, prædictæ excommunicationi, a qua, niſi omnia in integrum reſtituta fuerint, abſolvi nullo pacto poterunt, ſe obnoxios eſſe noverint.

Quæ piæ diſpoſitiones facti, vel juris impedimento impleri nequeant juxta Teſtatorum mentem; in alium uſum, qui tamen voluntati ipſorum Teſtatorum proximius accedat, commutentur. At hanc ob cauſſam Nos conſulendi erimus, qui, quæ commutatio utilior, Teſtatorumque menti proximior ſit, decernemus.

Si Miſſas per certos dies, hebdomadas, ſeu menſes Teſtator celebrandas fore decreverit, eæ, non quibus libuerit, ſed ſtatutis diebus, hebdomadis, ac menſibus celebrentur. Idem ſit de loco, & Altari per Teſtatores deſignatis. Cappellani enim gravem contraxerunt obligationem, dum hujuſmodi Miſſas celebrandas ſuſceperunt, cui propterea mini-

 me

me satisfacient, si ea, quæ recensita sunt, servare neglexerint. Rursus nec obligationi satisfaciunt, qui absque legitima caussa, quæ a Nobis est probanda, altera die, aut alteram Missam, quam quæ præscripta sit, celebraverint, nec qui ad tot Missas unico officio, & certa die agendas adstricti sunt, eas illamet die omnes celebrari non curent.

CAPUT III.

De Bonis Ecclesiasticis, eorumque administratione.

PRimævis Ecclesiæ temporibus nulla bona erant, quorum possessio ad eamdem pertineret: Emolumenta enim pro Dei cultu, & Ministrorum victu ex eleemosynis constabant. Postmodum vero (scilicet Sæculo III.) bonis ditari cœpit Ecclesia, quemadmodum ex Imperatoris Diocletiani decreto colligitur, qui ea Fisco addixit. Sed, Constantino rerum potito, non recuperare solum potuit, sed augere. Communes tamen erant Fundi, quos Episcopi per se ipsos, vel per œconomos administrabant, quorum pars quædam ipsis Episcopis, altera Ministris, altera pauperibus, Templis altera ædificandis, vel restaurandis dabatur. Factum exinde fuit, ut Fundi plures Clericis, qui prius menstruum stipendium recipiebant, ad eorum fructus percipiendos darentur; quæ adsignatio Beneficii nomine appellari cœpit, ut videre est in

epi-

epistola Simmachi Papæ ad Cæsarium Episcopum Arelatensem.

Ex his erui facile potest, cujus naturæ sint, & quo fine conlata fuerint Ecclesiæ bona, quæ possidet. Quod ut serio cogitent Rectores Beneficiorum hortamur, ac probe animadvertant, quomodo ea administrari, & quomodo eis uti, ut culpa evitetur, oporteat.

Apostolus Tito suo præcipiens, ut esset Domus suæ bene præpositus, Nos pariter monuit, ut bonorum, quæ sunt Ecclesiæ patrimonia, fideles essemus œconomi, & dispensatores. Quemadmodum vero Majores Nostri omni cura, & diligentiæ non solum ea conservarunt, sed etiam auxerunt, ut ad Nos pervenirent; ita Nostrum est futuris Successoribus ea fideliter servata, & utiliter aucta transmittere. Quæ quidem obligatio non levis est reputanda, cum certo sciamus, Nos Deo rationem in tremendi Judicii die reddituros, si negligentia, vel alia culpa Nostra de iisdem contigerit aliquid deperiisse.

Quæ cum ita sint, si qui Beneficiorum Rectores in hoc deliquerint, in eos severe animadvertemus, pœna etiam suspensionis a perceptione fructuum, saltem pro tertia parte, quæque ut juxta Sacræ Congregationis mentem in restauranda, seu ad meliorem statum Beneficia ipsa redigenda impendatur, enixe curabimus.

In proxime praecedenti Synodo satis superque de Ecclesiasticorum bonorum alienatione, item qui contractus super iisdem bonis, quibusque conditionibus appositis iniri possint, quæ pœnæ iis, qui trangressi fuerint, proponantur, pertractatum est. Hinc, quæ in ipsa Synodo hac super re sunt edicta; iterum hic edicimus, & statuimus.

Man-

Mandamus vero sub censurarum, aliisque arbitrio Nostro infligendis pœnis, ne quis Beneficii Rector, vel Emphyteuta, vel Conductor, vel quicumque is demum sit, qui Ecclesiæ Fundos administret, audeat arbores ullas prosternere, aut cædere, ut ut arentes, aut Fundo ipsi noxiae circumferantur, nisi Apostolicum beneplacitum, aut Auctoritas Nostra intercesserit. Excipimus ab hac lege eas arbores, quæ suapte natura cæduæ sunt, dummodo consuetis temporibus cædantur.

Quicunque facultatem a Nobis obtinebit inposterum cædendi easdem arbores, impetratam veniam Vicario Foraneo omnino exhibeat, qui eam in particulari Codice adnotet, ut conditiones, quæ in ea de more apponuntur, implendas curet, recognoscat, ac Nobis intra præscriptum tempus significet. Universe autem mandamus, ut pecuniae, quae ex ipsis arboribus sunt retrahendae, in Æde Sacra omnino deponantur; quae exinde amoveri non possint, nisi è Vicarii Foranei jussis, ac ut eos in usus, quibus sunt addictae, erogentur.

Ceterum si æquum est, ut qui Altari serviunt, de Altari vivant, animadvertendum tamen, Ecclesiasticos fructus ita in Ministrorum substentationem datos esse, ut iis, qui supersunt, nullo pacto abuti possint. Sive enim eorumdem Domini sint, sive Administratores tantum, ac sive contra charitatem, sive contra justitiam peccent ii, qui fructibus iis abutuntur, certum est, sub gravi teneri Clericos ad Beneficiorum suorum fructus, qui suæ substentationi supersunt, pauperibus elargiendos, aut in alios pios usus impendendos. Vetitum præsertim est, eos in conviviis, ludis, spectaculis, venatio-

ni-

nibus, aliisque id generis oblectamentis consumere. Fas quidem erit Consanguineis dare, si tamen pauperes sint, & quantum sit opus, ut minus egeant, nunquam ut ditescant.

Bona, quæ ad pias Sodalitates spectant, passim discrimen patiuntur, non alia sane ex caussa, quam quod ipsa bona alicui ex piis Sodalitatibus administranda adsignantur. Ad omne ergo malum, fraudesque omnes propulsandas mandamus (quod sane arrisit Sac. Congreg. Concilii) ut pro viribus curent omnium piarum Sodalitatum Curatores eadem Bona vel locare, vel potius in Emphyteusim ad tertiam masculinam generationem concedere, petita tamen Apostolica Auctoritate, si contractus ineundus eam, vel Nostram de jure Auctoritatem reposcat, servatisque ceteris ab ipso jure praefinitis solemnitatibus.

Ubi vero ipsa Bona piarum Sodalitatum, vel alia, dummodo sint Ecclesiastica, locari, vel in Emphyteusim tradi, sive demum quemcumque alium contractum super iisdem absolvi contigerit, volumus, ut ea serventur, quae servari jussit Sa: Me: Benedictus XIV. in suo *Motu proprio*, quem pro locatione rerum ad Cameram Apostolicam spectantium promulgavit. Hunc enim *Motum proprium* etiam pro Bonis ad Ecclesias, & Loca pia spectantibus locum habere, & omnino esse admittendum semel, & iterum declaravit, ac jussit Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, prout constat in *Appendice num. XX.*

Ipsum igitur *Motum proprium*, quem damus in eadem *Appendice num. XXI.* habeant sub oculis Vicarii Foranei, cum iisdem a Tribunali Nostro committitur Edictorum af-

fi-

fixio, five pro locandis Ecclefiafticis Rebus, five pro quocumque alio contractu abfolvendo. Advertant vero, rem esse diverfam, quando Edictorum affixio fit, exiftente Beneplacito Apoftolico, & quando nondum exiftat. Si enim fuerit obtentum, adamuffim tunc fervetur ipfe Motus proprius. Si fecus fuerit, & dumtaxat fiat Edictorum affixio, ut de tota re edoceatur Sacra Congregatio vel Concilii, vel Epifcoporum, & Regularium, tunc in Edictis declaretur, nullum jus aquiri oblatoribus, nullumque effe locum auctioni *Vicefimæ*, *& Sextæ*, nifi poft *obtentum*, *& executioni demandatum* Apoftolicum Beneplacitum; quemadmodum ipfa Sacra Congregatio Epifcoporum, & Regularium femel, & iterum declaravit, datis literis, quæ in *Appendice* referuntur fub *num XXII.*; ac tertio quoque dixit, quum ad eas, quas Nos ipfi propofuimus, dubitationes dedit refponfa legenda in eadem *Appendice num XXIII.*

Rurfus in iifdem declaretur Edictis, illas tantum admitti poffe oblationes, quæ nullam habeant admixtam conditionem, five eventualem auctionem juxta formam, quam ad mentem laudatæ Sacræ Congregationis Epifcoporum, & Regularium in *eadem Appendice num. XXIV.* apponimus.

Demum cum ab ipfo *Motu proprio* præfcribatur modus, quo alienari debent res Ecclefiafticæ, non liceat idcirco modum ipfum immutare. Oblationes itaque nonnifi claufae recipiantur; ac propterea interdicimus eas, quae per accenfas candelas, five per quamcumque alium methodum, quae ab ipfo *Motu proprio* difcrepet, admitti confueverunt.

CA-

CAPUT XV.

De Confraternitatibus Laicorum.

Quæ a Nobis dicuntur *Confraternitates*, Collegia sunt plurium Christi Fidelium, qui pietatis vinculo conjuncti se ipsos juvant, precibus, exemplis, consiliis, & ad Religionis, & charitatis officia una simul incumbunt. Non hæc recentia sunt in Ecclesia; etenim a tempore usque Nannetensis Concilii Anni 895. Fraternitates extitisse liquido apparet ex ejusdem Concilii *Canone decimo quinto*. Insuper in Sancti Martialis Vita per unum ex illius discipulis conscripta, de eisdem mentio habetur. Frequentiores vero factæ sunt successu temporis hujusmodi Societates; ex quo coniicimus Ecclesiam eas fovisse, atque utiles Fidelibus, Deoque placitas existimasse, quidquid in contrarium Etherodoxi, vel parum devoti homines blaterarint. Hinc easdem Privilegiis, & Indulgentiis Summi Pontifices auxerunt, ut Fideles ad mutuam charitatem, & ad pia opera magis magisque excitarentur: ex quo plane constat, quam religiosum, sanctumque sit illis adscribi. Quod cum ita sit, Nobis præcipuè cordi esse debet, ut in omnibus hujusce Diœcesis piis Sodalitatibus, quæ plurimæ numerantur, optima vigeat disciplina, & omnia decenter, atque (ut ait Apostolus) *secundum ordinem fiant*.

Firma igitur volumus permanere, quæ pro recto eorum Re-

Regimine Prædecessores Nostri sanxerunt, ac potissimum regulas, quæ in *Appendice* proxime praecedentis Synodi prostant. Nos vero hæc quae sequuntur, tantummodo addere, atque decernere opportunum judicamus.

Singulis Annis, nimirum *feria secunda post Dominicam in Albis*, tam qui piis Sodalitatibus præsint tamquam Moderatores, tam qui earumdem munera obeant, omnino eligantur, ita ut ultra Annum in ipso munere persistere nequeant absque Nostra facultate, quam tamen denegabimus, nisi necessaria, & utilis caussa concurrat, vel nisi in ipsis Sodalitatibus Viri desint idonei. Ubi fiunt electiones, extractis schedulis ab Urna, vulgo *Bussolo*, ne fraudes ullæ committantur, volumus, ut ipsa Urna sit bene clausa, & schedulæ interius repositæ recondantur in globulis ligneis bene lævigatis, quique sint magnitudinis prorsus æqualis: alias electiones ipsas irritas declaramus.

Singulis pariter annis Administratores rationem reddant coram Vicariis Foraneis. Sed ne hac in re ulla in posterum deprehendatur negligentia, Vicariis Foraneis stricte præcipimus, ut opportune instent, & propterea mulctam decem scutatorum ab iisdem repetendam statuimus, si ipsos Administratores post mensem ab absoluto munere ad rationem vocare neglexerint.

Nemo, præter summam a proxime præcedenti Synodo præscriptam, audeat ullos sumptus facere absque Nostra Auctoritate: Qua in re nullum omnino arbitrium ipsarum Sodalitatum Moderatores sibi vindicent. Quare præcipimus, ut licet agatur de expensis etiam utilibus, sive etiam necessariis (quatenus

nus sint extraordinariæ) nihilominus eæ fieri non possint, Nobis inconsultis, sub pœna reintegrationis de proprio, aliisque pœnis arbitrio Nostro infligendis.

Singulæ piae Sodalitates proprias Constitutiones adamussim servent. Si quæ sunt (& plures sunt in hac Diœcesi) quibus jus est nominandi ad Beneficia tum simplicia, tum residentialia, earum Confratres in id incumbant oportet, ut ad ipsa præ ceteris nominent Clericos Sacerdotio insignitos, vel saltem iis Clericis Beneficia ipsa deferant, de quibus optima spes effulgeat, operam suam Divinis daturos, ut digni evadant, qui sacris proventibus alantur. Porro mandamus, ut hæ Sodalitates prae ceteris eo numero Confratrum constet, quem propriæ Constitutiones designant, ne jus nominandi penes paucos, prout alias factum esse deprehendimus, inveniatur.

Præcipimus insuper, ut in hisce præsertim Sodalitatibus ii tantum adscribantur Confratres, qui in Oppido degunt, exclusis Advenis, nisi forte devotionis caussa sese adscribi petierint. Sciant porro ipsi Confratres, Nos a ferendo suffragio eos prohibituros, qui operibus pietatis, ceterisque actibus, qui ad easdem Sodalitates spectant, antea sedulam operam non dederint, ne videantur eam ob solam caussam sese adscripsisse, ut, ceteris rebus contemptis, dumtaxat ad ferendum suffragium hisce in conventibus intersint. Præterea volumus, ut ii dumtaxat censeantur ad ipsa Beneficia rite, & canonice nominati, quibus major supra medietatem Confratrum numerus, datis suffragiis, accesserit. Quæ quidem ratio in omnibus Sodalitatum Actis servetur, salvis

vis tamen iis Societatum Statutis, quæ duas ex tribus partibus in unum convenientes reposcant.

Sodalitates, quæ eo Alumnorum numero in Diœcesi constent, qui nimius sit, quum ob eorum multitudinem persæpe jurgia, & facile factiones irrumpant, volumus idcirco, ut, ubi hæc adsit redundans Confratrum copia, adunatis Comitiis, sed postea Nobis consultis, ad constantem, congruentemque numerum redigantur, retentis nimirum probioribus viris, quibus tantum tum ferendi suffragia, tum munera obeundi jus sit, quo careant ceteri, qui nihilominus in Albo Confratrum numerentur ad pia opera peragenda, quæ Instituti sunt propria.

Universe mandamus, ut in iis rebus, quæ operam Notarii reposcunt, neminem alium Sodalitatum Moderatores advocent, quam Notarium nostrum Foraneum.

Ubi res sit de Sodalitatibus, quæ dotalia subsidia puellis distribuunt, mandamus, ut eae proponantur, subsidioque dumtaxat donentur puellae, quae conditionibus in Fundatione praescriptis polleant, quaeque Parochi potissimum testimonium quod ad aetatem, bonos mores, & honestatem exhibeant. Porro ut omnia rite, recteque procedant sancimus, ut hujusmodi puellae ostiatim non quaerantur, & adnotentur ab iis, qui ad hujusmodi rem a piis Sodalitatibus praeficiuntur, ut in hac Urbe factitatum novimus, sed suis illae se sistant Parochis, a quibus juratum earum elenchum iidem piarum Sodalitatum Praefecti reportent. Quas vero adnotaverint Parochi, eae dumtaxat proponantur.

CA-

CAPUT V.

De Pietatis, ac Frumentariis Montibus, deque Domibus Hospitalibus.

NUllum aliud opus ad Misericordiam magis facere videtur, quam illud, quo vel esurientes nutriuntur, vel senes, infirmi, peregrini hospitio recipiuntur, cum ipse Christus, qui dixit: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis:* in talibus suscipiatur. Ea igitur bona, quae ad miserabilium personarum levamen pia Fidelium liberalitas elargita est, nemo non videt, qua fidelitate administranda, quave charitate eroganda sint.

Quamquam vero, quae in *Cap. De Confraternitatibus Laicorum, ac Bonorum ad ipsas spectantium administratione* ediximus, ad Pietatis, ac Frumentarios Montes, nec non ad Hospitalia quoque referuntur, nihilominus inutile haud censemus, si & hic eadem uberiori sermone persequamur. Ii, qui assumuntur ad pecunias, sive frumentum administrandum, ac bona Hospitalium regenda, quolibet omnino anno intra quindecim dies ab absoluto munere rationem reddant coram Nobis, seu Vicario Nostro Generali in hac Civitate, & coram Vicariis Foraneis in Diœcesi. Si renuerint, ad Canonicas pœnas procedemus, & Vicarii Nostri Foranei, nisi institerint opportune, mulcta decem scutatorum punientur. Si ex Lege Fundationis, vel privilegio, vel pa-

pacto aliis sit reddenda ratio; actum nullius roboris esse sciant, nisi & Nos una cum illis interfuerimus. Porro jura, & bona eorum fidei commissa tueri, & si quae sint injuste alienata, aut quomodolibet amissa, ab occupantium manibus excutere studeant. Domos, & Ædificia, si vitium fecerint, aut diruta fuerint, reparent, & nihil omnino negligant, aut praetermittant, quod ad commodum, & utilitatem locorum, quae tamquam Patribus familias ipsis fuerunt concredita, redundare possit.

Quod ad Montes Pietatis, qui pecuniarii etiam appellari solent, illud praemittendum arbitramur, eos scilicet esse pecuniarum cumulum, ad mutuandum pauperibus publica institutum auctoritate. Licet vero in illis aliquid ultra sortem exigatur, omnis tamen usurae labes excluditur, cum auctarium illud, non ratione mutui, sed emergentis damni, seu pro necessariis sumptibus, & pii Loci indemnitate solvatur. Etenim ad regendos, & administrandos hosce Montes Ministris opus est mercede conducendis; quae merces, si ex ipsa sorte reddenda caperetur, brevi Montes ipsi exhaurirentur; quod expresse declaravit Concilium Lateranense V. Qui vero pecuniariis Montibus praeficiuntur, oportet sint probatae integritatis, & diligentiae. Administratione suscepta, jurent penes Nostrum Vicarium Generalem, si res sit in Civitate, & Vicarium Foraneum, si in Diœcesi, se se fideliter susceptum munus adimpleturos, ac obligationem emittant de reddenda ratione, ac de reliquato solvendo in forma Cameræ Apostolicæ. Nisi hi actus legitime præcedant, & insimul idonei non accedant Fideijussores, ad obeundum munus

non

non admittantur. Accurata porro rerum, quæ in pio Monte existunt, Inventaria conficiant, neque pecunias ad alios, quam ad pauperum usus sub pœna excommunicationis convertant.

Peculiaria cujuslibet pii Montis Statuta omnino serventur. Si in iis nihil sit præfinitum, quanti valere debeant res, quæ in pignus deferuntur, habita ratione ad pecunias mutuandas, declaramus, ac statuimus, alicui non tradi posse pecunias, nisi pignora deferant, quorum valor dimidio sit major pecuniis mutuo dandis. Pignora porro non recipiantur, quæ faciliter Domini redimere negligunt, quæque difficiliter vendi possunt. A carie, tineis, & pulvere defendantur, ne, si culpa Ministri depereant, hujusce sumptu reintegrentur.

Absque consuetis syngraphis pecuniæ mutuo non dentur, & iis non relatis, pignora non restituantur. Si schedulas deperiisse afferant mutuatarii, pignora quidem restituantur, dato tamen idoneo Fidejussore. Si elapso tempore a Dominis pignora non redimantur, hastæ omnino subjiciantur. Qua in re, cum in Diœcesi multum a Montium Præfectis peccetur, injungimus Vicariis Foraneis, ut opportune invigilent; alias enim, neglecta statutis temporibus venditione, pignora ipsa non recipientur a Successoribus, ac ipsi Ministri habebuntur, ac si ii sint Debitores pecuniarum, quas pro iisdem pignoribus tradiderunt.

In reliquis serventur ea omnia, quæ tum Leo X. in ejus constitutione *Inter Multiplices*, tum Paulus V. in alia Constitutione *Onerosa* jusserunt.

Sub hisce Constitutionibus etiam comprehendi Montes Fru-

Frumentarios exploratissimum est. Hinc prohibemus, ne ulla frumenti portio, & ne illius quidem augumentum alienari, vel distrahi possit, quam in destinatum pauperum usum sub poena excommunicationis Summo Pontifici reservatæ, ac promptæ reintegrationis.

Non eligantur ad hos Montes administrandos, nisi qui sint idonei, & qui Bona possideant, ut restitutioni frumenti, quod sumunt administrandum, sint apti. Excludantur Filii Familias, nisi Patris adsensus accedat, & Fideijussio; ac arceantur, qui ipsis Montibus aliquid debeant. Munus non assumant, nisi exaratis tabulis juxta formam in *postrema præcedenti Synodo* late præscriptam, ac in munere ipso Annum non excedant.

Intra Mensem Septembris omnino repetant frumentum mutuatum. Quæ sane res eo enixius a Nobis præcipitur, quo segnius negligitur. Vicarii hinc Foranei hanc in rem diligentissime inquirant, ac curent omnino, ut tota frumenti quantitas intra dictum tempus Montibus restituatur. Renovationem Syngrapharum omnino prohibemus. Quamcumque dilationem constantissime Debitoribus erimus negaturi, etiamsi frumenti collectio non fuerit eo Anno copiosa. Volumus enim, ut singulis annis sint ipsi Montes reipsa reintegrati, ut exinde vel eorum subversio, vel imminutio evitetur. Montistæ vero, si utcumque non exegerint, de proprio Successoribus tradant frumentum, quod non recuperaverint.

Absque nostra facultate frumentum non distribuatur, quam tamen non concedemus, nisi præcedentes Ministri rationem

prius

prius reddiderint, ac integre frumenti quantitas recuperata non fuerit, conditiones, quæ in ipsa facultate apponuntur, exacte serventur. Nemini distribuatur, qui præcedenti anno moram restituendo interposuerit, & qui Parochi testimonium non habet de sua paupertate & de frequentia ad Doctrinam Christianam addiscendam. Præferantur, qui ad reportandum frumentum segnes non fuerunt, quique agris excolendis incumbunt, si inopia tamen frugum laborent. Attente porro invigilent Administratores, ne frumentum tradant iis, qui mercaturæ caussa, non ad inopiam sublevandam illud postulant. Si secus actum erit, tam Administrator, quam mutuatarius pœnas dabunt arbitrio Nostro. Cetera, quæ proxime præcedens Synodus præscripsit, religiose serventur.

Etiam, qui Hospitalibus Ædibus præsunt, ac eorumdem Bona administrant, fideliter id agant oportet, ac omnia humanitatis, & Christianæ pietatis officia prompto, ac benigno cordis affectu pauperibus præstent. Eorumdem fructus, prout diximus quod ad Pietatis, & Frumentarios Montes, nonnisi quam in destinatos pauperum usus sub dictis pœnis impendant. Caveant porro, ne ab ullo, cum ad Hospitale admittitur, vel inde discedit, aliquid vel minimum exigant, nec etiam sponte datum accipiant. Invigilent demum attentissime, ne mares cum fœminis familiariter conversentur, utque distinctæ sint Virorum, & Mulierum mansiones. Fidei documenta rudes edoceantur, nec umquam desit Sacerdos, qui in Hospitali Domo commorantes piis hortationibus pascat, Sacramentis reficiat, ac extremo laborantibus morbo spiritualia præbeat ad Christianam mortem adjumenta.

Infirmi, cùm primum convaluerint, ab Hospitali dimittantur, & quando ingrediuntur, statim peccata sua confiteantur, & id ipsum frequenter præstent. Curent rursus Hospitalium Præfecti, ut linteamina, omnisque supellex, quæ Infirmorum usibus est addicta, munda serventur. Si vero in aliquibus Hospitalibus Peregrini recipiuntur, non indiscriminatim omnes recipiantur, sed ii tantum, qui legitimis commendationibus, ac testimonialibus literis muniti sunt; numquam vero Circulatoribus, Aleatoribus, Nebulonibus, aliisque id genus Hominibus sit locus.

Ceterum peculiares quoque cujusque Hospitalis Constitutiones serventur. Quod si quod extat, quod suis regulis careat, intra binos menses eæ conficiantur, Nobisque adprobandæ exhibeantur. Injungimus porro omnibus Vicariis Foraneis Nostris, ac Parochis, ut omnia Hospitalia sub quorumcumque cura intra respectivæ jurisdictionis fines existentia sæpe invisant; & si quid animadversione dignum reperiant, pro sua quisque auctoritate provideat, vel rem ad Nos deferat, ut pro modo culpæ nedum remotionem ab officio, sed graviores etiam pœnas, ac censuras indicamus. Potissimum vero invigilent in iis Hospitalibus, qui nullos distinctos Fundos habent, sed quorum cura, & alendi infirmos onus spectat ad eos, quibus Fundi ipsi cum eodem onere fuerunt adsignati. Interdum enim ii, ad quos illa spectant, quæ necessaria sunt, minime suppeditant, vel inani obtentu infirmos rejiciunt, aliisque oneribus, si quæ sunt, minime satisfaciunt. Quibus in rebus si peccare eos deprehenderimus, pœnas paulo ante commemoratas ab iis postulabimus.

Ex-

Extat in hac Urbe Hospitale exposititiis pueris recipiendis salubriter destinatum. Olim tam pueros, quam fœminas excipiebat, ac Censu non satis amplo fruebatur. Nos separatas Ædes jam a Prædecessore Nostro inchoatas, absolvendas curavimus, ac pueros, qui prius septennes manumittebantur, usque ad annos viginti retinendos, ac in Mechanicis Artibus instruendos ediximus. Patrimonium vero (Legatione fungentes, quam cum extraordinario imperio a Summo Pontifice accepimus, & adhuc retinemus) novo addito censu adauximus, ac Opificia multiplicis generis in fœminarum Ædes induximus. Quæ porro pro utraque Domo Leges a Nobis latæ, a S. Sede adprobatæ, & typis evulgatæ sunt, omnino servari mandamus.

Nemo ad hoc Brephotrophium mittat, vel deferat infantem, qui ad alienam spectet Diœcesim, vel qui legitimis sit ortus Natalibus, sub pœna excommunicationis, quam latæ sententiæ etiam contra eos, quiin id consilium, vel operam præstiterint, binis evulgatis Edictis, quæ prostant in *Appendice num. XXV., & XXVI.*, jam tulimus. Bina hæc Edicta Synodali etiam Lege confirmamus, & semel in Anno, ac eo die, quo in Parochiis frequentior est populus, a Parochis evulgari præcipimus.

Extat etiam in hac Urbe alia pia Domus, in quam puellæ, parentibus orbatæ, recipiuntur, & edocentur. Tenuis, & huic Orphanotrophio erat census, quem addicta hæreditate piæ Mulieris Magdalenæ Graffigna & indulgentia SS. Domini PII VI. augendum curavimus. Leges porro ipsius addictionis exacte serventur; ac propterea fructus præfatæ hæ-

hæreditatis divisim administrentur ab eo, quem ad Nos omnino spectat præficere, nec cum fructibus ad Orphanotrophium antea spectantibus immisceantur. Separate item reddatur ratio per singulos Annos, uni nimirum Archiepiscopo de iis, qui a dicta hæreditate derivant, Loci vero pii Moderatoribus (servata tamen S. Canonum censura) de iis, qui ex bonis jam ad ipsum Orphanotrophium spectantibus proveniunt.

Qui ab ipsis Moderatoribus eligitur Œconomus, a Nobis quod ad mores est adprobandus. Quæ binæ sunt alendæ in Conservatorio puellae ex dictæ hæreditatis fructibus, eligantur quidem ab iisdem Moderatoribus, sed prius a Nobis adprobentur. Demum novem subsidia dotalia ab ipsa hæreditate præstanda, adsignentur a Parochis hujus Civitatis, quibus jus est nominandi puellas. Sed mandamus, ut iidem Parochi nominare debeant Orphanam de sua Parochia in Orphanotrophio degentem, quatenus adsit, sin minus aliam, quæ ibidem moretur, juxta Legem in Rescripto S. Congregationis Concilii contentam.

Nonnisi eæ puellae, quæ qualitatibus a Lege Fundationis præscriptis polleant, eligantur, & in Conservatorium recipiantur. Id certissime Nos praestabimus quod ad illas puellas, quae per ipsam Nostram Archiepiscopalem Mensam in Orphanotrophio aluntur, & quod ad illam, quam ex Testamento Marci Antonii Savini jus est Nobis eligendi.

Denique serventur ea omnia, quae proxime præcedens Synodus praescripsit, ac potissimum quae late continentur in Constitutionibus a Nobis adprobatis, ac Anno 1781. typis evulgatis.

Qui

Qui piis, de quibus usque nunc egimus, Locis vel regendis, vel administrandis eliguntur, sciant de ipsis in Psalmo sciptum fuisse: *Tibi derelictus est pauper, Orphano tu eris adjutor*. Quod si fideliter injuncto sibi muneri satisfecerint, sciant pariter, illam sibi benedictionem praeparari, de qua legimus in altero Psalmo: *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*.

CAPUT VI.

De Usuris, & illicitis Contractibus.

CUm quæsiisset a Domino Regius Psaltes: *Quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in Monte Sancto tuo?* Plura subdidit interrogationi responsa, inter quæ illud etiam: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super innocentem non accepit:* Siquidem natura ipsa fœnus abominatur, cum nihil aliud revera sit, quam ex indigentia proximi lucrum capere. Soli Deo fœnerari licet. At quomodo? Fœneratur Domino, qui miseretur Pauperis (a), inquit ipse Spiritus Sanctus.

Reum vero usurariæ pravitatis eum agnoscimus, quem constet, aliquam dedisse pecuniæ quantitatem, vel aliam quamcumque rem, eo pacto vel tacite, vel expresse adjecto,

(a) Prov. 19. c. 17.

cto, ut aliquid ultra sortem mutuatam ejusdem, vel alterius speciei restituatur, vel donetur, dummodo hujusmodi accessio, vel augmentum sit pecunia æstimabile. Hoc crimen gravissimum est, & execrandum; Ac quamvis a S. Canonibus, & Apostolicis Constitutionibus, ac fere ubique a Principum Legibus interdictum, nihilominus sub integumento contractuum miras per artes serpit frequenter. Nostræ ergo pastoralis est sollicitudinis, ut tam detestabile crimen, quantum cum Domino possumus, reprimamus.

Omnes itaque monemus, ut nihil ex mutuo præter sortem recipiant, nec principaliter sperent, etiamsi pecuniæ ad Pupillos, Viduas, & Loca pia pertineant, nisi in casibus a Jure permissis.

Nemo rem aliquam ultra justum pretium vendat ob dilatam solutionem, vel ob anticipatam solutionem minoris emat, solvatque minus, quam alias deberet. Usuras non solutas in sortem converti (quod dicitur Anatocismus) illicitum prorsus, ac inhumanum declaramus.

Illicitam item, & usurariam gravitatem dicimus eam, qua Operariis anticipate solvitur merces, sed minor, quam labor, opus, & loci consuetudo exigunt, quod in effectu fit ob anticipatæ solutionis caussam.

In animalium Societatibus, quæ in hac Civitate, & Diœcesi frequenter veniunt in contractum, absit pactum, ut Capitale sit integrum pro eo, qui illud confert, utque omne periculum, & damnum ab alio Socio, qui recipit, substineatur, simulque ut certa lucri quantitas, & summa ex fructibus ipsorum animalium in singulos annos, vel menses solvatur.

tur. Hæc enim pacta, & hosce contractus, tamquam illicitos, & usurarios Xyxtus V. in Const. *Detestabilis* damnavit.

Inter usurarios etiam recensentur ii, qui mutuantes frumentum, ceterasque annonas, ut sæpe fit cum rusticis, aliisque pauperibus tempore Autumni, vel Hyemis, pactum apponunt, ut in Messe, vel statuto tempore, restituatur frumentum ipsum, aliæque res cum aliqua accessione, sive ut vulgo dicitur *a misura colma*. Ii quoque dicuntur, & sunt usurarii, qui item frumentum, Vinum, Oleum, aliaque hujusmodi, quæ sint corrupta, mutuo dent, ut tantundem integrum, & bonæ qualitatis reddatur, quamvis restitutio ad tempus Debitori magis accomodatum differatur.

Hæc pauca delibavimus, sed plurimi, quos singulos longum esset recensere, sunt casus, in quibus usuraria pravitas solet admisceri. Parochi itaque, & Confessarii indefesso studio, & ex sententia probatorum Auctorum sanam de contractibus doctrinam apprime calleant, ac sub oculis habeant, quæ literis Encyclicis: *Vix pervenit*: sapientissime more suo Benedictus XIV. edocuit. Ut autem hujus execrandi criminis, & cujuscumque illiciti quæstus horror insideat fidelium mentibus, iidem Parochi, Confessarii, Concionatores, ceterique acriter, & persæpe invehant in eos, qui per vim, & metum, per dolos, & fraudes, per collusiones, per fas, & nefas, ac pauperum oppressiones illicitos, & usurarios ineunt Contractus. Demum pœnas, quæ spirituales, & temporales sunt Transgressoribus inflictæ, opportune explicent, ac potissimum edoceant reos tanti sceleris, nec vivos ad Sacra-

cramenta, nec mortuos ad Ecclesiasticam Sepulturam esse admittendos, nisi parti laesae satisfecerint, vel fidejussoribus datis cautionem de restituendo praestiterint, aut saltem id praestandi propositum praeseferant.

Iisdem porro poenis, quibus Sacri Canones, & Apostolicae Constitutiones, praesertim illa Xyxti V., quam superius commemoravimus, iniquos foeneratores, & usurarios feriunt, subjaceant quoque Notarii, qui usurarios, & foeneratitios contractus non solum palam, sed palliate quoque in tabulis referre audeant.

CAPUT VII.

De Seminario.

CUm maxime oporteat, Adolescentes Clericos praeceptis, institutisque Ecclesiasticis abundare, ut sicut novellae olivarum in atriis Domus Domini plantatae fructum reddant in tempore suo, visum est sapientissimis Œcumenicae Tridentinae Synodi Patribus salubri Decreto sancire, ut in unaquaque Dioecesi Seminaria construantur, ubi in Ecclesiae spem, piis, doctisque Viris velut Agricolis diligenter adlaborantibus, tenella haec virgulta excoli possent atque augeri. Revera quantae fuerit utilitatis sanctissima haec institutio, facilius experientia demonstrat, quam valeant verba expli-

plicare; siquidem ex communi sententia, ubi etiam nullum aliud bonum ex ea Synodo derivatum fuisset, sola de Seminariis lex labores omnes, curasque abunde compensasset (a).

Quod cum ita sit, Clericorum Seminarium vineam illam electam esse reputamus, quam caelestis Pater familias in hac etiam Dioecesi Nostra plantari voluit; quae cum fidei Nostrae commissa sit, qua veluti sepe muniatur, de ipsa, ut par est, solliciti ea nunc decernimus, quae necessaria magis, atque utilia Nobis visa sunt.

Quamquam Seminarii Ædes, Praedecessore Nostro curante, in ampliorem formam redactae, optimo fuerint ordine distributae, nihilominus & Nos alia Ædificii accessione Ædibus ipsis locupletandis, & exornandis ita operam dedimus, ut nihil sit, quod nunc videatur deesse, vel possit ulterius exoptari. Sed peculiarem, majoremque curam adhibuimus, ut Adolescentibus, qui in Seminarium excipiuntur, nihil deesset, quod ad eos in pietate, & doctrina (quod est caput omnium) instituendos conduceret. Factum hinc est, ut Rectori, qui moribus præest, & disciplinæ, alium dederimus, qui in gravi munere obeundo ei ferat auxilium, ejusque vices supplere possit. Binos alios induximus Præceptores, quatuorque adsignavimus Presbyteros, qui Præfecti appellantur. Servorum quoque numerus est auctus, binique demum voluimus, ut adolescentium commodo, & honestati adessent Cubicularii.

Hæc omnia necessario agenda duximus: Quemadmodum

(a) Pall. Hist. l. 21. n. 102.

enim adolescentium, qui actu aluntur, & a Seminario Nostro recipi possunt, duplo major est numerus, quam qui erat ante Ædificium (centum siquidem Clericis continendis est aptum) ita & majori Ministrorum copia, ac servorum etiam opus erat, qui & duodecim aliis adolescentibus (quos Convictores appellant, & quibus Ædes Seminarii patere quoque permisimus) opportune ministrarent. Sed hæc omnia Nos admonent, veteres ipsius Seminarii Constitutiones præsenti rerum statui minime, plene saltem, congruere. Hinc mandamus, ut veteres intra quatuor Menses reformentur Constitutiones, quæ immutatis rebus conveniant, Nobisque postmodum adprobandæ exhibeantur.

Interim volumus, ut nemo in Seminarium, nisi Nobis consultis, admittatur. Si de Clericis alumnis agatur, non sint decennio minores, nec decimum octavum annum excedant: Laici vero, hoc est Convictores a decimo usque ad quartum decimum recipientur. Porro omnem curam adhibebimus, ut Clerici cooptandi sint idonei: eorum idcirco non solum ingenium, & ad literarum studia, & ad Ecclesiæ ministeria conformatum animum, sed etiam, idque multo impensius, morum innocentiam, ac disciplinæ amorem spectabimus. Admissi vero destinentur a Rectore, atque a Magistris illi Scholæ, quæ eorum idoneitati respondeat.

Jam vero cum præcipue adnitendum sit, ut Seminarii Alumni, qui divino servitio, & Altaris Ministerio sunt dedicandi, non tantummodo literis, sed pietate potissimum imbuantur, Rectorem in Domino monemus, ac obtestamur, ut in tanti momenti negotio attente vigilet, atque omni co-

natu adlaboret. Curet, ut juxta laudabilem consuetudinem Alumni præ ceteris voce, & mente quovis mane orent, Beatissimæ Mariæ Virginis Officium per singulos dies alternatim recitent, divino Missæ Sacrificio, sive in interiori Seminarii Sacello, sive in ejusdem Seminarii Ecclesia (quam salubriorem, elegantioremque reddidimus) omnes omnino, nisi obstet valetudo, quotidie intersint; Pœnitentiæ, atque Eucharistiæ Sacramenta ita frequentent, ut nedum solemnioribus Anni diebus, verum etiam bis in mense ad ea sumenda accedant; Metropolitanæ Ecclesiæ die quolibet festo inserviant studiose; in Cantu Gregoriano addiscendo sedulo versentur. Ita enim hæc omnia adimplenda esse jubemus, ut Rector, si quem invenerit detrectantem, illum ne patiatur in Catalogum Ordinandorum referri.

Tam intra septa Seminarii, quam extra, cum nempe vel ad publicas Scholas accedunt, vel deambulatum pergunt, veste semper talari utantur, violacei quidem, si de Alumnis Clericis sit sermo, nigri vero coloris, si de Convictoribus agatur. Hi autem (quandoquidem indulgentia quadam nostra ipsos in Seminarium admisimus) omnem præseferant in moribus modestiam, omnemque servent Seminarii regulam, quæcumque pietatem, sive rationem Studiorum, sive observantiam in eos, qui quoquo modo præsunt, sive demum rerum ordinem, horarumque distributionem respiciat. Sed jam, cum eos in Seminarium admitteremus, cavimus diligenter, ne diversi ordinis Adolescentes toti Clericali Familiæ, quæ magna, & magni est, impedimento essent, cum ornamento esse debeant. Ea etenim pro illis tunc Sta-

tuta condidimus (quæ typis vulganda erunt) ut si qua in re a Clericali Institutione, ut par erat, subducerentur, nulla tamen in regimen universum repugnantia inferretur, aut dissonantia. Hoc in primis Nos ipsi spectavimus, hoc ipsum spectet Rector accuratissime, & persequatur.

Diligentissime autem consueta horarum distributio servetur, ac in id quoque intendat Rector, ut singula secundum Anni tempora adamussim impleantur. In Mensa sileant universi, neque utilis Libri lectio omittatur. Quum e Seminario prodeundum erit, omni modesto decore, binique incedant, nec è conspectu ejus, qui illos comitatur, usquam abeant. Si relaxandi animi, & corporis exercendi caussa alicui ludo vacare eis concedatur, ne ea incommoda contingant, quæ evenire facile possunt, volumus, ne id agant, nisi vel intra Seminarii septa (statutis tamen horis, eaque methodo, ut non omnes Alumni uno tempore eodem conveniant ludi gratia) vel ita prorsus extra Civitatem, ac in locis ab hominum frequentia remotis, ut non spectaculo sint ii, quos decet a spectaculis abhorrere.

Rectori porro quod ad ea, quæ ad mores, & disciplinam spectant, nedum obedientiam, & obsequium, sed summam præstent observantiam; & id ipsum ei quoque exhibeant, qui ejus locum uti Vice-Rector tenet. Item Magistris, ac Præfectis pareant; mutuo se tractent amore, neminem dicto, factove lædant, & in omni gestu, motuque modestiam, & gravitatem præseferant. Aliter se gerentes pro modo culpæ puniantur a Rectore, sive ab eo, qui adest, ut diximus,

Vi-

Vice-Rectore, quique jus quoque habeat puniendi, & corrigendi Alumnos, monendique Præfectos. Se ubi de Rebus gravibus agatur, nil pœnæ hic decernat, inconsulto Rectore.

Libros quoscumque vel obscænos, vel etiam minus honestos, eosque ludos omnes, quibus Adolescentium animi aut frangi, aut depravari facile possent, a Seminario ablegamus. Arma vero nemo sit, qui retinere, vel deferre audeat. Porro Rectoris erit diligenter inquirere, num ulla in Seminario delitescant. Quod si Reum aliquem hujusmodi culpæ deprehenderit, illum gravissimis pœnis afficiat, ac si quando sit opus, Nobis prius consultis, ex Seminario ipso depellat.

Si quis ex Clericis rudis adeo Minervæ esse contigerit, ut spem omnem adimat sui profectus in studiis, vel Ecclesiasticum spiritum non ostendat, itemque si quis Convictor dicto non audiens persistat contumax, Rector, consultis Magistris, eorumque adhibito Testimonio, certiores Nos reddat, ut ea remedia capiamus, quæ expedire judicabimus, pœna etiam adhibita expulsionis, quatenus opus erit.

Interdum accidit, ut quis extra Seminarium justa de caussa versari aliquantisper debeat. Nemini tamen facultatem Rector impertiatur, nisi adsignato viro, cujus fidei, & honestati Adolescens tuto committi possit. Nemo per Scholasticum Annum ad patrios lares remeare possit, vel alio abire quacumque ex caussa, ita ut extra Seminarii Ædes pernoctet, quin Nostra intercedat auctoritas. Redeuntes vero ab autumnalibus feriis denuo in Seminarium antea non recipiantur, quam Rectori luculentum Parochi testimonium exhi-

exhibuerint, ex quo constet & Sacramenta frequentasse, & rectam vivendi rationem retinuisse. In pervigilio diei festi, qui omnibus Sanctis est sacer, quisque ad Seminarium redeat, nisi legitimum impedimentum, quod probari debeat, obstiterit.

In proprio munere obeundo singuli Magistri diligentes, promptique sint. Eam tamen teneant rationem, ut verbo simul, & exemplo suos doceant discipulos, ii vero non literis solum, sed Christianis etiam virtutibus exornentur. Alumni autem summa observantia Magistros ipsos prosequantur, sciantque, se ab iis non intra Scholam tantummodo puniri posse, verum etiam ubicumque (intra Seminarium tamen) si necessitas, aut utilitas postulaverit, monito tamen eo, qui pro diversitate Loci, ubi sunt puniendi, præest. Cum Rectore agant de singulorum idoneitate, sit ne quis ad majora studia promovendus, an retardandus, ut, uno tantum auctore, aut retardatio, aut promotio fiat, qui tamen Magistrorum judicio innitatur. Præfecti (qui nedum Rectori, sed ejus Vices-gerenti exacte pareant) pervigiles usquequaque sint, ac perpetuo Alumnos custodiant. Eos non deserant, sive cubent, sive animos relaxent, sive e Seminario egrediantur, sive demum in communi orent. Si quid minus rectum ab eis geratur, delinquentes Vice-Rectori denuncient, vel ut ab eo corripiantur, vel ut Rectorem moneat ipse, consulatque: Ipsi vero nonnisi leves pro levibus culpis in suo quisque Conclavi pœnas infligant. Ad Œconomum vero spectet res omnes Seminarii quam diligentissime administrare, epulas in Magistrorum, Alumnorumque mensis apponendas curet juxta methodum a Nobis traditam, quam immutare nul-

la

la omnino in re valeat. Urgeat insuper ministeria famulorum, eorum præsertim, qui vel comparandis dapibus, vel coquendis, vel dividendis addicti sunt, ut omnia mature, scite, justeque fiant. Quotannis denique ad normam a Tridentino præscriptam administrationis suæ rationem reddat.

Curet quoque Rector, ut Seminarii famuli honeste, & pie vivant, & mense quolibet Pœnitentiæ, & Eucharistiæ Sacramenta frequentent. Probe autem factum erit, si in Seminario ipso Sacram sumant Synaxim. Inscio Rectore, aut Œconomo per notabile tempus a Seminario non absint, alias mercedis diminutione plectantur. Quod si Matrimonio juncti sint, Domi suæ esse noctu poterunt, dummodo saltem eorum bini alternatim in Seminario dormiant.

Quæ in hoc Synodali capite præscripsimus, novas item Seminarii Regulas, cum primum exaratæ fuerint, volumus, ut quolibet ineunte Mense, Rector legenda jubeat, ut quo magis memoria repetuntur, eo altius (quod summopere Optamus) mente retineantur.

CAPUT VIII.

De Universitate Studiorum.

STudiorum præcipua cura, ac sollicitudo apud Christianos, Episcoporum est. Qualiscumque enim Doctrina, quæ a Doctrina Christi diffideat, non Doctrina, sed error dici

duci debet; ipse enim est Lux vera, quæ *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Hanc autem Apostolis, & eorum Successoribus Episcopis, quasi pretiosum depositum tradidit, ut ab iis Populi edocerentur, inquiens *Euntes docete omnes gentes* Quo sane munere primævi Ecclesiæ Antistites functi sunt, vel per semetipsos, vel eorum opera, quos apprime noverant, potentes esse *exhortari in Doctrina sana, & eos, qui contradicebant, arguere*. Legimus enim S. Joannem in Ephesina, Polycarpum vero ejus Discipulum in Smyrnensi Ecclesia Scholas instituisse. Legimus item, dum secundum, & tertium volverent sæcula. Scholas, ac Bibliothecas pluribus in Locis prope Cathedrales Ecclesias fuisse constitutas, quarum celebrior fuit illa Alexandriæ, ubi celeberrimi floruerunt Magistri. Porro, si quis Ecclesiastica consulat monumenta, comperiet, quantam illustriores Episcopi adhibuerint curam, ut nemo tradendis disciplinis destinaretur, cujus doctrina suspecta foret, cum etiam ii, qui inter sapientiores nomen habent, aliquando dicant tenebras Lucem, & Lucem tenebras, & propterea cæci sint, & duces cæcorum. Quo factum est, ut Justinianus Imperator de Gymnasiorum regimine admodum sollicitus, tanti oneris partem Episcopis demandatam voluerit (*a*). Fridericus vero alter Imperator plenam eis tribuerit potestatem (*b*). Si ergo ex ipsa Episcopalis muneris natura, & Imperatoriis etiam Legibus peculiares Nobis esse debet Sollicitudo pro Adolescentium progressu in studiis, & in pietate, ac insimul ut ido-

(a) Proem. comp. Leg.
(b) Cod. lib. IV tit. 13

idonei præficiantur Magistri, id potissimum Nobis incumbit in celebri, & vetusta hujus Urbis Academia, quam Bonifacius VIII.. qui eam instituit, & Xystus V., qui eam instauravit, Firmanis Archiepiscopis, quos *Præsides* esse voluerunt, enixe commendarunt.

Quis debeat esse Studiorum modus, quod examen subeundum, quomodo a Scholis inferioris ordinis ad superiores transeundum, qui Libri explicandi, quæque pietatis opera exercenda, satis fuse propositum, & explanatum est Edicto Nostro, quod dedimus anno 1780. die 18. Maji, & in *Appendice num. XXVII.* retulimus. Hæc iterum probamus, & ab omnibus, quorum caussa scripta sunt, animo revolvenda, & accurate servanda præcipimus, ut nemo ex Magistris, & nemo ex iis, qui Præfecti Studiorum dicuntur, aliquid perpatrent, quod eidem Edicto adversetur. Potissimum vero neminem ex Adolescentibus vel ad Studia admittant, vel ad altiora ascendere patiantur, nisi in examine idoneus reputetur, prout alio Edicto in *Appendice* relato sub *num. XXVIII.* præscripsimus.

Generatim vero volumus, ac mandamus, ut nedum Magistri hujus nostri Lycei quamcumque scientiam, etiamsi Grammatica sit, edoceant, sed ceteri etiam per Diœcesim Præceptores, sive sint Clerici, sive Laici professionem Fidei emittere coram Nobis, seu Nostro Vicario Generali teneantur, prout in Capitulo de Fide Catholica præscripsimus.

Magistri, etiamsi a Laicis Magistratibus obeundo muneri præficiantur, minime admittantur, nisi prius Nos eos

Idoneos renunciaverimus *(a)*. Adprobati vero a Nobis, non solum in Grammatica, Rethorica, aliisve Scientiis, sed etiam in iis, quæ ad Religionem spectant, Adolescentes diligenter instruant. Ad Missas, ad divina Officia, ad Conciones audiendas, aliaque pietatis opera exercenda discipulos non solum hortari debent, sed, prudenti ratione adhibita, compellere etiam possunt.

CAPUT IX.

De Foro Ecclesiastico, Vicario Generali, & Cancellaria Archiepiscopali.

SCriptum legimus in Libro Sapientiæ (*b*). *Discite Judices finium terræ. . . . quoniam data est à Domino Potestas Vobis, & Virtus ab Altissimo; interrogabit opera vestra, & cognitiones scrutabitur; quoniam cum essetis Ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende, & cito apparebit Vobis, quoniam judicium durissimum his, qui præsunt, fiet.* Terrent quidem Nos divinæ hæ minationes, cum judicandi, Judicesque constituendi munus Nostrum sit. Quapropter ut neglectæ justitiæ, quæ, ut Am-

(a) Conc. Colonien. III. tit. quod ad Instit. cap. I.
(b) Cap. 6.

Ambrosius ait (a), suum unicuique tribuit, rei non evadamus, ad eamdem in Foro Nostro Ecclesiastico exacte reddendam, quædam Synodali lege sancire necessarium duximus.

Jurisdictionem, quæ Nostro competit Tribunali, ita sartam, tectamque volumus, ut nec ullo modo imminuatur, sed nec ultra fines protendatur. Quare eæ tam civiles, quam criminosæ Causæ in Foro Nostro agantur, quæ vel jure, vel consuetudine, vel privilegio ad illud spectant.

In iis porro tractandis mandamus, ut stilus A. C. a Cl. Me: *Alexandro Borgia* Decessore Nostro præscriptus, omnino, & exacte servetur. Hinc si quid est, quod ab eo discrepet, prorsus emendetur, vel reassumatur, si aliquid omitti contingat. Quando a Vicario Generali indicuntur informationes, Actuarius elenchum conficiat, in quo describantur Causæ disputandæ, Patronique insimul in eo notentur, qui hinc inde Causas ipsas erunt oraturi: Hic affigatur porro a Curiæ Cursore in loco patenti; & præfinitis diebus, qui alii non erunt, quam feria *tertia*, & *sexta* per singulas hebdomadas, informationes ipsæ a Vicario Generali omnino habeantur.

Absque tamen strepitu, & figura Judicii, ac summarie, ut ajunt, eæ Causæ absolvantur, quæ a Viduis, Pupillis, aliisque miserabilibus personis, vel Ecclesiasticis proponuntur. Item eæ, quæ de mercede agunt, vel de alimentis, quæque demum summam scutatorum quinque non excedunt. In hisce porro Causis tractandis nullæ serventur feriæ, dum-

 me-

(a) Lib. 1. Offic. c. 24.

modo in honorem Dei Sanctorumque eæ non fint indictæ. Item mandamus, prout cautum fuit in proxime præcedenti Synodo, ut pro debito non excedente aureos quatuor nummos, nemo in Carcerem detrudatur, nisi debitum ipsum criminis quoque notam adnexam habeat.

Nulla definitiva Sententia obfignetur a Vicario Nostro Generali, nisi prius fibi constiterit, Scripturas omnes, Documenta, & Acta, quæ ad Caufam expediendam pertinent, fuiffe plene, & infimul unita, ac in Processum redacta. Hoc onus ad Actuarium in Civilibus fpectet, qui idcirco Processum ipsum, postquam in unum redegerit, eidem Vicario Generali, Sententiam obfignaturo, exhibeat. Porro fententia lata Processui uniatur, & ab ipso Actuario idem Processus in Indice defcribatur, ac fuo loco reponatur.

Civiles Processus, qui per latas fententias funt abfoluti, nemini extra Tribunal, neque ab ipso Cancellario Generali, fi Nostra expreffa non interfuerit facultas, tradantur. Documenta vero, quæ ad Caufas actu vigentes referuntur, nemo fumat a Nostro Tribunali, nisi ea petat a Cancellario, ac fyngrapham accepti conficiat propriis literis in Libro, quem *Accommodatorum* vocant. Restituant porro intra fpatium duorum Menfium, ac etiam brevius tempus, fi Curiæ Nostræ Ministri ea requirant, ac præfertim ubi fint per Sententias expediendæ Caufæ, ad quas Documenta ipsa pertineant. Dum autem commodatas Scripturas reportant, non ab alio, quam ab ipso Actuario id in ipso Libro notetur. Qui fecus fecerit, ab Officio removebitur, aliafque pro Arbitrio Nostro pœnas erit daturus. Crimen autem erit Nobis refervatum, fi

si quis præfatas Scripturas, vel alia Documenta, quæ ad Nostrum Tribunal spectant, malitiose vel subtraxerit, occultaverit, vel combusserit.

Nemo in Curialium Albo describatur, ac in Foro Nostro Causas orare possit, nisi prius peculiare examen coram Vicario Nostro Generali subierit, ac adprobationem obtinuerit. Quo quidem in examine adsint bini ex senioribus Causarum Patronis, quorum alter Advocati, alter vero Curialis munus gerat. Antequam tamen ad examen admittatur, volumus, ut ipsi Vicario documentum exhibere teneatur, quo constet, saltem per biennium juri discendo apud aliquem ex Advocatis fructuose operam dedisse, totidemque Annos pro Praxi acquirenda apud alterum ex Curialibus impendisse.

Porro quicumque sit, qui ad Causas tuendas in Foro Nostro fuerit admissus, volumus, ut nigri coloris vestes tempore tam audientiæ, quam Informationum adhibeat, iisque indutus coram Judice sistat. Nemo ex Curialibus, nemo ex Advocatis alium verbis injuriosis afficiat, nemo dicteria evomat; ac nemo vel oretenus, vel scripto quempiam mordaciter lædat. Lites non protrahant, ac propterea cavillationes omnes, & ambages devitent. Si quis in hisce deliquerit, a Foro expelletur, aliisque Arbitrio Nostro pœnis mulctabitur.

Non hæc ideo edicimus, quod hujusmodi indolis Viri in Tribunali Nostro versentur (quotquot enim ad Causas orandas accedunt, jam novimus, tum doctrina, tum honestate insignitos, eosque peculiari honore prosequimur) sed ne a recta, qua incedunt, via ullo pacto aliquis in posterum declinet. Adsit Fisci Patronus, adsit pauperum Defensor. Ille ju-

jura Ecclesiæ tueatur ; & in inquirenda criminum veritate adlaboret. Hic defendat pauperes, ac miserabiles personas, ne adversariorum potentia opprimantur. Si absque rationabili caussa in hoc tam pio munere deficiat, ab agendis negotiis in Tribunali Nostro repelletur.

Tabella dierum, quibus jus in Foro nostro redditur, affixa in Cancellaria retineatur, illamque ab omnibus servari mandamus. Taxam Innocentianam in iis, de quibus ipsa loquitur, servari pariter volumus. In ceteris vero ea, quæ viget in Tribunali, vel quæ legitimæ consuetudini cohæret, Taxa attendatur. Etiam in Nostris Curiis Foraneis idem præstari volumus, ita tamen, ut, quoniam in ipsis haud viget stilus A. C., ita si Taxa nostræ Curiæ locum habere, & convenire nequeat, ea, quæ viget in Foro laicali loci, inspiciatur.

Vicarius Noster Generalis in jure dicundo ita se gerat, ut litium anfractus tollat, ad celerem Causarum expeditionem maxime incumbat, statisque diebus Audientiam præbeat, Informationes excipiat, omnesque præsertim Causarum Patronos benigne, & patienter audiat. Curet etiam Partes, præsertim si de Consanguineis agatur, vel de modicis sit litigium, ad concordiam vocare, ita tamen caute, & prudenter, ut nulli præbeat suspicionis caussam. Iis, qui in Carceribus sunt detenti, præsto sit, ne quid eis desit vel ad vitæ substentationem, vel ad animæ salutem. Cancellariam visitet, & Archivium, invigiletque, ut dietim ea omnia adnotentur, quæ in suis quoque Codicibus sunt describenda, & ut Libri, Scripturæ, ceteraque hujusmodi diligenter ad-
fer-

servéntur. In Subditos inquirat, ut emendentur potius, quam puniantur; ac demum caveat, ne Satellites aliquid etiam minimum extorqueant, vel quod a justitia & humanitate abhorreat, committant.

Non semel accidisse constat, ut qui aliquid a Nobis petierit, & justis de caussis non obtinuerit, se ad Nostrum Vicarium Generalem convertat, a quo, utpote ignaro de rejectis a Nobis precibus, deque caussis, quibus rejecimus, postulata impetrent, sive potius extorqueânt. At cum sit id prorsus fraudolentum, declaramus idcirco, & sancimus; nullitate laborare, nulliusque esse roboris, etiam quod ad Regulares, quidquid eo casu fuerit obtentum. Pœnas quoque ab iis, qui hæc commiserint, si Nostræ Jurisdictioni subjaceant, arbitrio Nostro repetemus.

Interest quam maxime, ut nonnisi idonei, & perspectæ integritatis sint Notarii, qui vel in Civilibus, vel in Criminalibus Nostræ Cancellariæ operam dabunt. Hinc nemo a Nobis cooptabitur, nisi prius a Vicario Generali fuerit adprobatus, ac in Tabellionatus Officio saltem per quatriennium fuerit versatus. Iis vero, qui tamquam Cancellarius Generalis præerit, ceteros idoneitate, & honestate praecellat. Non prius ad Officium admittatur, quam coram Nobis, vel Vicario Nostro Generali jusjurandum praestiterit, se fideliter, & diligenter munus obiturum, Innocentianam, ac Tribunalis Taxam servaturum, ceteraque omnia ad ejus Officium spectantia, quacumque fraude, collusione, extorsione, ac Personarum acceptione remota, praestiturum. Inventarium conficiat accuratissimum rerum omnium, quae tam in Cancel-

cellaria, quam in Archivio sunt, sive sint Processus, vel Libri, sive Scripturae, aut Jura quaecumque. Cui quidem Inventario per singulos dies eos addat, & inscribat Processus, ac Scripturas, quae forte superveniant.

Unusquisque porro ex Nostris Notariis peculiari Provinciae sibi commissae incumbat; omnes tamen a Cancellarii Generalis nutu dependeant. Se mutuo juvent in iis, quae ad respectiva munera pertinent. Nemo ex ipsis, potissimum Cancellarius, & nemo ex iis, qui famulatui nostro sunt adscripti, Causarum, quae in Foro Archiepiscopali aguntur, procurationem, aut patrocinium suscipiat, minusque Judicibus causas in eodem foro vigentes commendet. Quos demum in præsenti Synodo jam declaravimus Synodales Judices, sicuti iis Causæ Ecclesiasticæ per Sanctam Sedem Apostolicam committi solent, & ex iis Regulares sibi Conservatorem eligere debent, ita in utroque munere juste, ac summa cum integritate se gerant.

CAPUT X.

De Constitutionibus Synodalibus.

HÆ sunt Constitutiones, quas in præsenti Nostra Synodo statuendas, ac decernendas censuimus, quasque Venerabilibus Fratribus Nostris, ac dilectis Filiis, Canonici ni-

nimirum Parochis, Sacerdotibus, Clericis, ceterisque curæ Nostræ concreditis, legendas, animo volvendas, atque executioni demandandas proponimus. Nihil sane est in iis, quod asperum sapiat, aut inusitatum, nihilque, quod a S. Scriptura, Conciliis, Pontificiis Legibus, & S. Tribunalium placitis non fuerit definitum; hasque dedimus, non ut dominaremur in Cleris, sed ad divini cultus augmentum, ad Ecclesiasticæ disciplinae tutelam, atque ad Populi nostri Sanctificationem magis magisque promovendam. Quod si non semper in Spiritu mansuetudinis, sed quandoque in virga venire visi sumus, & quarumdam Nostrarum Legum transgressoribus pœnas adjecimus, id profecto, & temporis, & muneris Nostri ratio postulabat. In spem igitur erigimur, Filios Disciplinam Patris auditurós, & futurum neminem ex Clero Nostro, Populoque, qui prompto, alacrique animo Constitutiones ipsas non excipiat, quas vim Legis habere declaramus, & servari ab omnibus volumus post triginta dies, ex quo fuerint typis editae, & publicatae. Peculiare tunc Edictum daturi sumus, a quo de ipsarum Constitutionum editione quisque docebitur.

Ne quis vero, ut S. Jacobus Apostolus ait (a), auditor sit verbi, & non factor, ac proinde viro comparari possit, qui consideravit vultum nativitatis suae in speculo, consideravit enim se, & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit; ac ne Legum ignorantia quemlibet ab earum observatione excuset, praecipimus, ut quotquot sunt Sacerdotes, praesertim Parochi, & Vicarii Foranei, & quotquot sunt Clerici,

(a) Epist. Cath.

qui Ecclesiastico Beneficio fruuntur, vel qui S. Ordinibus cupiunt insigniri, hæc Synodalia Decreta, postquam fuerint typis excusa, sibi comparent, eorumque Codicem penes se retineant. In Tabulariis quoque Collegiatarum, Parochialiumque Ecclesiarum, ac piorum quorumcumque Locorum exemplar perpetuo adservetur, nullatenus amovendum sub pœna scutatorum trium, quos piis usibus addicemus, si alicubi deesse comperiemus. Porro nemini facultatem audiendarum Confessionum concedemus, aut concessam prorogabimus, neminemque ad Ordines admittemus, qui Synodalium Decretorum Codicem sui juris non fecerit; Paratum enim quemque esse volumus, quotiescumque occasio se offerat, ad subeundum super hisce Decretis peculiare experimentum. Hoc autem non sine caussa exigimus, cum *nulli Clericorum liceat suos Canones ignorare* (a).

Si quid dubium super hisce Synodalibus Statutis inposterum exoriatur, vel sit aliquid, quod addendum, moderandum, vel abolendum occurrat, Nostrum erit, & Successorum Nostrorum dumtaxat tollere, explicare, derogare, quin & nova condere, quotiescumque temporum varietas, aut rerum circumstantiæ postulabunt. Nobis item, & Successoribus Nostris jus reservamus quascumque pœnas, sive spirituales sint, sive pecuniariæ quas in præsenti Synodo præscripsimus, augendi, minuendi, commutandi, vel ex integro remittendi: Salva sit demum Nobis, Nostrisque pariter Successoribus auctoritas, si nulla pœna, vel levis alicui Decreto

(a) S. Cœlestin. I.

to est adjecta, præter eas a Jure inflictas, alias arbitrio Nostro decernendi, quas convenire judicabimus. Declaramus tamen, pecuniarias pœnas nonnisi piis usibus esse addicendas.

Non autem hæc Nostra tantum Decreta servanda Clero Nostro proponimus, sed etiam ea, quæ a Decessores Nostri in suis ipsi Synodis sanciverunt. Eorumdem ergo Leges confirmamus omnes; sed si quid est in ipsis, quod hisce Nostris Constitutionibus adversetur, illud omnino abrogamus, prout Censuras omnes latæ sententiæ, suspensionesque ipso facto incurrendas, quæ in iisdem Synodis fuerunt inflictæ; vel etiam comminatæ, revocamus, easque tantum afficere declaramus, quas in Synodali hac actione decrevimus.

Sed omnia, & singula, quæ hic jussa, decreta, & promulgata sunt, viribus consistant suis, si rata habeat, & probet Apostolica Romana Ecclesia, quam ut Parentem optimam obsequio prosequi, & ut Magistram omnes sequi debemus, & cujus proinde censuræ Sanctiones, quas edidimus, emendandas, & corrigendas subjicimus.

SERMO PARÆNETICUS
AD CLERUM
IN FINE SYNODI.

ANtequam facris hifce Comitiis finem faciamus, Dilectiffimi Sacerdotes, & Clerici Noftri, vofque ad propria, Deo comite, revertamini = *Inclinate quæfo, inclinate aurem veftram in verba oris noftri: Mandatum, quod præcepimus vobis, cavete diligenter, ut faciatis, & injicite pedes veftros in compedes illius, & erunt vobis in protectionem fortitudinis, & bafes virtutis* (a) = Quod Noftrum erat, præftitimus, non dominandi cupiditate illecti, fed inftaurandæ difciplinæ zelo animati. Faxit ipfe Deus, qui Nos ad hunc locum perduxit, ut quod paterna Charitas Noftra vobis demonftravit, rependat Nobis filialis obedientia veftra. Nihil afperum, difficile nihil, aut novum ediximus faciendum, de quo conqueri jure poffitis. Illis tantummodo, quos adhuc mundi amor tenet, quædam fortaffe rigida nimium, atque ardua videbuntur. *Durus eft* (inquient) *hic fermo, & quis poteft eum audire* (b)? Verum enim vero non commenta hæc funt Noftra. Plura quidem juffimus, fed fecundum Canones, Spiritu Dei conditos & totius Mundi reverentia confecra-

(a) Psalm. 77. v. 1. Deut. 8. Eccl. 6. v 25. v. 30.
(b) Joan. 6. 61.

secratos, & ea potestate jussimus, quæ Nobis divinitus data est. Non enim solis Apostolis, sed Episcopis etiam eorum Successoribus usque ad consummationem Sæculi loqutus est Christus, cum dixit = *Sicut misit me Pater, & ego mitto Vos.... Docete omnes Gentes.... quæcumque alligaveritis super Terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcumque solveritis super Terram, erunt soluta & in Cælo* (*a*). Si enim secus esset, perpetuam non habuissemus Ecclesiam, & Apostolis intereuntibus, ipsa quoque interiisset. Porro qualibet Societas Legibus opus habet, cum sine Legibus consistere minime possit. Ecclesia igitur, quæ Christi Fidelium Societas est, suis & ipsa Legibus regi debet, ac moderari. Præter eas vero, quas Divinus ejus Auctor Christus Dominus instituit, alias postmodum & varietas temporum, & corruptio morum, & inducti abusus necessario postularunt. Plura scimus Apostolos statuisse, atque illis, quos in opus Evangelii sibi Socios adsciverant, quosque fundandis, aut regendis Ecclesiis præficiebant, in mandatis dedisse, ut qua ipsi usi sunt, eadem uterentur Potestate. *Argue* (scribebat Timotheo suo Paulus) *obsecra, increpa... præcipe hæc, & doce.... peccantes coram omnibus argue....* (*b*) Ad Titum vero = *Reliqui te Cretæ, ut quae desunt, corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros.... hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio* (*c*) = Quid hisce

(a) Joan. 20. 21. Matth. 28. 19. Isl. 18. 18.
(b) 2. Ad Tim. c. 4. 2. Ad Tim. 1. c. 4. v. 11. 1. c. 5. v. 25.
(c) Ad Tit. c. 1. v. 5. c 2. v. 15.

hisce testimoniis clarius? Quid apertius ad ostendendam tum ferendarum Legum, tum judicandi, tum regendi auctoritatem, quæ ab Apostolis ad Episcopos transiit? Cujus autem naturæ sint, & circa quæ versentur Ecclesiæ Leges, ex iis, quæ Summi Pontifices Petri Cathedram, & Universalis Ecclesiæ clavum tenentes, Generalia Concilia, & peculiares Provinciarum, & Diœcesium Synodi decrevere, aperte cognoscimus: Siquidem ad Fidei custodiam, ad morum emendationem, ad stabiliendam, vel restituendam disciplinam ordinantur. Verum supervacanea forent Antistitum Decreta, si eorum subditi ad parendum non tenerentur. Hinc Apostolicus ille Vir, & Martyr Ignatius suis nunquam cessabat literis Fideles commonefacere, ut Episcopos non solum venerarentur, sed in omnibus eorum jussa facerent, cum Christus dixerit = *Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit* = (a).

Nihilo tamen secius non desunt, qui suorum Episcoporum mandata ita parvi pendant, ut ea præterire minime vereantur, perinde ac si nulla intercederet culpa, vel si aliqua, certe levissima. Quodque magis dolendum est, nonnulli etiam ex iis, qui Sacerdotali honore fulgentes populis exemplo esse debent, quique ad Episcoporum levamen in opus Evangelii assumpti sunt, eorum contemnunt auctoritatem, quam totis deberent viribus tueri.

Frustra quorumdam auribus vox Pauli sonat clamantis: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; Qui autem re-*

(a) Luc. c. 10 v. 16.

resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. . . . ideo subditi estote non solum propter iram, sed propter conscientiam (*a*) : Quæ sane verba, cum ad quaslibet Potestates referantur, potissimum tamen Ecclesiasticam respiciunt, quæ spiritualis cum sit, sublimiori est in ordine, ac dignitate. Quod si Regi, ac Ducibus vult Deus ut subditi pareant, tanto magis Pontifici summo, & Episcopis subjici debent: *Obedite* (inquit idem Apostolus) *Præpositis vestris, & subjacete eis (b)*. Quod si fideles omnes hoc afficit præceptum, quid de Sacerdotibus dicendum, qui etiam jure jurando in sua se Ordinatione obstrinxerunt?

Præterea quicumque in re gravi alterius jus lædit, hoc ipso peccat; Deus enim jus cuique suum tribui jubet. Quid autem gravius, quam Episcoporum Legibus obsistere, præcipue cum ad honestatem vitæ, morum regulas, Dei cultum, & Sacramenta referantur? Aliqui tamen non desunt Clerici, qui supra molles laxarum opinionum pulvinos quiescentes, hæc minime cogitant. Hinc depravati sæculi usus, prophanosque mores imitari potius malunt, quam Sacris Ecclesiæ Sanctionibus obtemperare. Hos autem ab hoc lethali somno excitare, Antistitum opus, & labor est.

Ad Nos quod attinet, cum bene de Clero Nostro sentiamus, ideo vel nullos, vel paucissimos futuros confidimus, quorum improbanda vita, vel pertinax contumacia duriores esse Nos cogat, ut si non propter conscientiam, propter iram saltem in viam revocentur.

Vos

(a) Ad Rom. 13 v. 2.
(b) Ad Hæbr. 13. 17

Vos autem, Dilectissimi, ne quæso decipiant captiosæ illorum voces, qui ut a recto tramite deflectatis, fortasse reponent = Cur vobis vetitum, quod sibi licitum quamplures arbitrantur, & impune agunt? Si illi, cur non & Vos? = Verum nil probare, qui probat nimis, in comperto est. Nullum enim reperitur, quamtumvis enorme crimen, cujus plurima afferri non possint exempla. Verum non quid fiat, sed quid faciendum sit, inspicere oportet. Quid porro faciendum est? Suscipiendum Superioris quodcumque Edictum veluti emissa cælitus vox. Christus Dominus imitandus, qui potius vitam perdidit, quam perderet obedientiam: *Factus est enim obediens usque ad mortem*.

Quæ cum ita sint, ea omnia, quæ in hoc nostro Synodali Conventu statuta sunt, *servate, & facite*. Ostendimus enim vobis viam bonam, per quam ambuletis = *sicut decet Ministros Christi, & Dispensatores Mysteriorum Dei* = (*a*); ut virtutum vestrarum exemplis alliciantur populi, terreantur impii, religio floreat; Quod *Deus concedat vobis per Spiritum suum Sanctum, & gratia Domini Nostri Jesu Christi sit cum spiritu vestro Fratres* (*b*). Amen.

AP.

(a) Ad Cor. c. 4. v. 1. 2. Petr. c. 1. v. 13.
(b) Ad Galat. 6. 18.

APPENDIX
AD SYNODUM DIŒCESANAM

Formula Professionis Fidei per eos, qui ad eam tenentur, emittenda

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI, AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

I. Njunctum Nobis Apostolicæ servitutis officium requirit, ut ea quæ Dominus Omnipotens ad providam Ecclesiæ suæ directionem, Sanctis Patribus in nomine suo congregatis divinitus inspirare dignatus est, ad ejus laudem, & gloriam incunctanter exequi properemus. Cum itaque juxta Concilii Tridentini dispositionem, omnes, quos deinceps Cathedralibus, & Superioribus

A Ec-

Ecclesiis præfici, vel quibus de illarum Dignitatibus, Canonicatibus, & aliis quibuscumque Beneficiis Ecclesiasticis Curam animarum habentibus, provideri continget, publicam Orthodoxæ Fidei professionem facere, seque in Rom. Ecclesiæ obedientia permansuros spondere, & jurare teneantur.

§. I. Nos volentes, etiam per quoscumque, quibus de Monasteriis, Conventibus, Domibus, & aliis quibuscumque locis Regularium quorumcumque Ordinum, etiam Militarium, quocumque nomine, vel Titulo providebitur, idem servari, & ad hoc ut unius, & ejusdem Fidei professio uniformiter ab omnibus exhibeatur, unicaque, & certa illius forma cunctis innotescat. Nostræ sollicitudinis partes in hoc alicui minimè desiderari, formam ipsam præsentibus adnotatam publicari, & ubique gentium per eos, ad quos ex Decretis ipsius Concilii, & alios prædictos spectat, recipi, & observari, ac sub pœnis per Concilium ipsum in contravenientes latis, juxta hanc, & non aliam formam, professionem prædictam solemniter fieri, auctoritate Apostolica tenore præsentium districtè præcipiendo mandamus hujusmodi sub tenore.

Ego N. firma Fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo S. R. E. utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem Omnipotentem, factorem Cœli, & Terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus

turus est cum gloria judicare vivos, & mortuos, cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam Sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes, & Constitutiones firmissime admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Sacrarum scripturarum, admitto, nec eam unquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam, & interpretabor. Profiteor quoque septem esse vera, & propria Sacramenta novæ Legis, à Jesu Christo Domino Nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Extremam unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine Sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia, & singula, quæ de peccato Originali, et de justificatione in Sacrosancta Tridentina Synodo definita, et declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro Vivis, & Defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse vere, & realiter, & substantialiter Corpus, & Sanguinem, una cum Anima, et Divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, et totius substantiæ vini in sanguinem, quam Conversionem Catholica Ecclesia transubstantiatio-

tionem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum, atque integrum Chriſtum, verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo Purgatorium eſſe, animaſque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari. Similiter et Sanctos, una cum Chriſto regnantes venerandos, atque invocandos eſſe, eoſque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas. Firmiter aſſero imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas, et retinendas eſſe, atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe, illarumque uſum Chriſtiano Populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam, Catholicam, et Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem, et Magiſtram agnoſco; Romanoque Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum Principis Succeſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo, ac juro. Cętera jam omnia a ſacris Canonibus, Œcumenicis Conciliis, ac præcipuè a ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata indubitanter recipio, atque profiteor: Simulque contraria omnia, atque hæreſes quaſcumque ab Eccleſia damnatas, & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam uſque ad extremum vitæ ſpiritum conſtantiſſime (Deo adjuvante) retinere, et confiteri, atque a meis Subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro, ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

FOR-

FORMULA JURAMENTI
A LUDIMAGISTRIS EMITTENDI.

EGo N. juro me, quantum humana imbecillitas poterit, exactè servaturum Decretum Sacrosancti Concilii Lateranensis V. quo statuitur „ut Magistri Scholarum, et Præ-„ ceptores, pueros suos, sive Adolescentes, nedum in Gram-„ matica, et Rhetorica, ac cæteris hujusmodi erudire, et „ instituere debeant; verum etiam docere teneantur ea, quæ „ ad Religionem pertinent, ut sunt præcepta Divina, Arti-„ culi Fidei, Sacri Hymni, et Psalmi, Sanctorum Vitæ, „ diebusque festivis nihil aliud eos docere possint, quam in „ rebus ad Religionem, & bonos mores pertinentibus, eos-„ que in illis instruere, hortari, et cogere, in quantum pos-„ sint, teneantur; ut ne dum ad Missas, sed etiam ad Ve-„ speras, divinaque Officia audienda, ad Ecclesias accedant, „ et similiter ad prædicationes, et Sermones audiendos im-„ pellant, nihilque contra bonos mores, aut quod ad im-„ pietatem inducat, eis legere possint„ Sic me Deus adjuvet, et hæc Sancta Dei Evangelia.

EDITTO
PER L' ESTIRPAZIONE DELLE BESTEMMIE, E DEL PRENDERE IN VANO IL SS. NOME DI DIO E DE' SANTI SUOI.

II. L' Obbligo del nostro pastoral ministero, e il pericolo di partecipar tacendo dell' altrui iniquità ci costringono a prendere opportuno riparo contra l' esecrando vi-

vizio, che regna in molti, di bestemmiare, e di prendere in vano il SSmo Nome di Dio, e de' suoi Santi. Siamo poi vivamente persuasi di aver apprestato l'opportuno rimedio col rimettere in vigore i provedimenti già presi da' Sommi Pontefici, e dagli Arcivescovi nostri predecessori. Siccome poi il principale di questi si è, che sia a carico di una qualche pia Confraternita la correzione de' bestemmiatori; perciò vogliamo, che sia richiamata alla primiera osservanza l' istruzione della ch. mem. di Monsig. Alessandro Borgia sotto il dì 11. Novembre 1746., e che abbia vigore di Editto, della quale, variati i giorni stabiliti alla predica contro il vizio, quì riportiamo la sostanza.

ALESSANDRO BORGIA &c. *Il nostro S. Padre, e Sig. PP. Benedetto XIV. ardendo di zelo per estirpare l' abominevol vizio della bestemmia dopo di aver messi in opera varj rimedj in Roma, da quali gli è derivata la consolazione di vederne copioso frutto, ha providamente risoluto di stendere l' uso de' medesimi alle Provincie del suo Stato temporale; e con una costituzione Apostolica ci ha spiegata la sua mente, la quale è, che da noi si appoggi il salutevole istituto di ammonire e correggere fraternamente i bestemmiatori, e quelli, i quali usurpano in vano il Nome di Dio, a qualche pia Confraternita in ciascun luogo già canonicamente eretta, di qualunque titolo ella sia, purchè in essa si ascrivano persone per nascita, pietà, dottrina capaci di far bene l' offizio loro secondo le regole da prescriversi da Noi, cavate da quelle, che il S. Arcivescovo Carlo Boromeo prescrisse alla Congregazione da esso istituita de' Correttori delle bestemmie, concedendo larghe Indulgenze a tutti quelli, che coopereranno ad un fine sì santo.*

Noi adunque scegliamo in questa Città la Confraternita del Nome di Dio, già istituita nella Chiesa Metropolitana dal Card. Felice Peretti allora Vescovo di Fermo, poi Sommo Pontefice col nome di Sisto V., per promovere il cul-

culto, e il rispetto dovuto a sì gran Nome, ed altra in ciascun luogo della Diocesi. A queste senza pregiudizio de' loro titoli, istituti, ed Indulgenze appoggiamo la salutevole opera di ammonire, e correggere fraternamente i bestemmiatori, cioè coloro, che con disprezzo usurpano il glorioso Nome di Dio, ovvero attribuiscono a Dio ciò, che non gli conviene, o gli negano i suoi attributi, o maledicono Maria SSma, e gli altri Santi, e quelli ancora, che spergiurano o giurano senza necessità, e finalmente quelli, che prendono in vano sì venerabili Nomi usandoli ne' loro parlari senza riverenza e rispetto: ed assegniamo le Regole infrascritte approvate dalla S. Sede.

REGOLE

PE' FRATELLI CORRETTORI DELLE BESTEMMIE.

I. Tutte le persone aggregate a questa Confraternita riconosceranno per loro Capo l' Ordinario, procurando di adempire tutto ciò, che sarà loro proposto per l' avanzamento di opera sì santa.

II. Dovranno congregarsi in quel luogo ed in quelle giornate, che saranno destinate dall' Ordinario o dal Capo della stessa Congregazione, a fine di conferire circa i mezzi più facili per la estirpazione di un simil vizio, e stabilire i giorni, ne' quali dovranno i Fratelli, che saranno prescelti, coperti col cappuccio, quando l' Ordinario così crederà più espediente, andare a due per due in giro a fine d' invigilare alla fraterna correzione de' Bestemmiatori.

III. Avranno l' avvertenza di non lasciar mai senza questa pia opera i giorni di Festa, ne' quali pur troppo accadono maggiori scandali, girando sopratutto per le botteghe, osterie, bettole, e ridotti.

IV. Quando sentiranno qualche bestemmia, pregheranno il bestemmiatore (anche inginocchiandosi avanti di lui, se ciò stimerà opportuno) di ricordarsi che Iddio è il suo Creato-

re

re e Benefattore, e che gli ha dato la liugua per lodarlo, e ringraziarlo, non per disprezzarlo, e maledirlo, dicendogli poche, e pesanti parole con tutta carità e sommissione.

V. Distribuiranno nel giro, che anderanno facendo per le botteghe e case un Ricordo stampato per astenersi dalle bestemmie.

VI. Sarà cura del Prelato di destinare tre giorni dell' anno in tre diverse Chiese per le prediche da farsi contro il suddetto vizio col precedente invito stampato ed affisso; ed avrà attenzione, che da' sagri Oratori si persuadano gli ascoltanti a correggere caritativamente i delinquenti, e denunciarli in caso, che non giovino le ammonizioni.

VII. Saranno obbligati i Fratelli di esortare con dolcezza e a tempi opportuni i Padri di famiglia, Maestri di scuola, Mercadanti, Capi di arti a invigilare, che i loro figli, scolari, servidori, e operaj non bestemmino, ed impedire, che non conversino con gente di simil vizio e senza timor di Dio.

VIII. Dovranno i Confratelli essere i primi a dar buon esempio nel parlar modesto, nella esemplarità de' costumi, e nella umiltà, e mansuetudine.

IX. Faranno ogni tre mesi una Communione Generale nella Chiesa destinata dal Prelato, e in questa occasione si farà una breve esortazione per confermare il popolo ne' proponimenti di fuggire questo vizio esecrando.

X. Finalmente dovranno gli Ordinarj e Governatori con pubblico Editto provvedere, che se alcuno avrà ardire di motteggiare, disprezzare, o rispondere ingiuriosamente a qualunque Fratello, che con carità lo corregga, sarà severamente e irremissibilmente anche per la prima volta punito con tre tratti di corda da darsi in pubblico, se sarà uomo, e della galera anche perpetua quante volte alle parole si unissero gl' insulti; ed alla frusta e carcere perpetuo, se sarà donna, oltre le pene pecuniarie da applicarsi a' Luoghi Pii secondo la qualità e grado dei delinquenti.

XI.

XI. Questa Confraternità (lasciando ferma ad arbitrio dell'Ordinario il titolo di quella, al quale sarà unita) riconoscerà per Protettrice la SS. Vergine, e il S. Angelo Custode, recitando ogni volta, che dovrà adunarsi, le litanie coll' orazione : *Concede misericors Deus fragilitati nostræ præsidium*, per tre volte l'orazione : *Angele Dei*, col Salmo: *Laudate Dominum omnes Gentes*, e l'orazione; *Deus, qui culpa offenderis, & pœnitentia placaris*.

I nostri Vicarj locali esorteranno in nome nostro i soggetti più idonei del paese a farsi ascrivere alle suddette Confraternite, e di anno in anno eleggeranno col parere e consiglio degli Ufficiali un numero competente di Correttori. In Città avrà questo offizio il Canonico della Chiesa Metropolitana Priore pro tempore.

E perchè si trova una specie di bestemmie contro il prossimo, la quale consiste in pregargli male con detestazione e sdegno; perciò dovranno i Correttori ammonire e riprendere con fraterna carità anche quelli, che saranno in ciò colpevoli, e correggeranno parimente coloro, che prorompono in parole sconcie, ed oscene, le quali di leggieri si congiungono colle imprecazioni.

A tenore del paragrafo sesto delle riferite Regole destiniamo la Domenica dopo la festa della Circoncisione, la prima di Maggio, e quella che è fra l'ottava dell'Assunzione di Maria per la predica contro il vizio della bestemmia, la quale dovrà farsi da tutt'i Parochi, e da tutti quelli, che hanno per impiego il predicare. Siano questi per tempo ammoniti dal Priore della Confraternita. Se alcuno dei giorni destinati resti impedito, si rimetta il soggetto della predica nella Domenica seguente.

A tenore del paragrafo nono di dette Regole, e dell'accennata Costituzione del S. P. Benedetto XIV. assegniamo la Chiesa Metropolitana in Città, e la Matrice ossia prima parocchia negli altri luoghi, e il giorno della Circonci-

sione di N. S., la Domenica di Pentecoste, il dì dell' Assunzione di Maria SS. (per la Città la Domenica fra l ottava (, e il dì di tutti i Santi per la Communione generale da farsi da' Confratelli coll' acquisto della Indulgenza plenaria.

Destiniamo parimente la Natività del Signore, l' Annunciazione di Maria SS. e la Dedicazione di S. Michele Arcangelo per quelle tre feste dell anno, nelle quali gli stessi confratelli, in vigore della suddetta Costituzione Apostolica, confessati, e communicati visitando la propria Chiesa o cappella, e ivi pregando per la concordia de' Principi Cristiani, per la estirpazione delle Bestemmie ed eresie, e per la esaltazione della S. Madre Chiesa acquisteranno similmente Indulgenza plenaria.

Dichiariamo, che non ostante la deputazione de' Correttori resti in pieno vigore la disposizione canonica del Concilio V. Lateranense sotto Leone X. alla sessione IX. cioè che chiunque udisse un bestemmiatore dovesse acremente riprenderlo, quando avesse potuto ciò fare senza pericolo, ed in ogni modo dovesse fra tre giorni denunciarlo al Giudice Ecclesiastico.

In fine esortiamo tutti i nostri fratelli e figli dilettissimi, che non solo procurino di non incorrere giammai nel grave eccesso di bestemmiare o prendere in vano il Nome di Dio, ma anche cerchino di cooperare (ciascuno secondo il proprio talento) alla emendazione degli altri e di guadagnare i tesori delle Indulgenze concesse dal nostro S. Padre. A questo fine vogliamo, che i Parochi pubblichino la presente Istruzione al popolo in uno o più giorni festivi, ed in ora di maggior concorso, colla viva voce la spieghino, ed esortino tutti ad approfittarsene, e la ripongano nell Archivio della Parocchia, per richiamarla di tempo in tempo alla memoria de' Parocchiani, ed usino tutto il loro zelo per far sì, che nella nostra Diocesi Iddio sia lodato e ringraziato da tutti.

Noi

Noi adunque col presente nostro Editto ordiniamo la intera e perfetta osservanza di quanto è prescritto nella inferita Istruzione, e vogliamo che nelle Confraternite già assegnate dallo stesso Monsig. A. Borgia nostro Predecessore sia ristabilito il salutevole uso di correggere i bestemmiatori. E poichè la Confraternita del Nome di Dio di questa Città dee essere di norma e di esempio alle altre della Diocesi, esortiamo i nobili e più qualificati cittadini, che ascritti non vi fossero, a farvisi ascrivere, dandone perciò e confermandone la facoltà al Canonico della Chiesa Metropolitana, Priore *pro tempore*; e vogliamo a tale oggetto, che sia ristampato il Sommario de' Privilegj e Indulgenze concessele dai Sommi Pontefici. Procurino di comunicarsi tutt' insieme ne' quattro giorni di sopra stabiliti, e di osservare tutte le Regole e buone costumanze della Confraternita.

Ci protestiamo poi uniformandoci al paragrafo decimo delle regole riferite, che, se nell'esercizio di un sì santo impiego si prestasse da taluno impedimento, o poco rispetto alle persone, che saranno prescelte, Noi saremo pronti non solo ad assisterli validamente, ma ancora di punire con rigorose misure chi a tanto si estendesse.

In fine, comandiamo a tutti li Osti, Cantinieri, Bettolieri, e Macellari, Pizzicaroli sotto pena di scudi dieci, ed altre a Nostro arbitrio, di dover tenere affisso nelle Bettole, Cantine, Macelli, Pizzicarie, ed altri pubblici ridotti il presente Editto, il quale obblighi ogni uno, come se gli fosse stato personalmente intimato.

Fermo dal Nostro Palazzo Arcivescovile li 3. Febraro 1784.

A. ARCIVESCOVO DI FERMO

Francesco Fares Canc. Gen.

LETTERA CIRCOLARE

PER LA ESTIRPAZIONE DELLE BESTEMMIE SI TENGA CONTINUAMENTE AFFISSO NELLI PUBLICI LUOGHI ec.

Molto Reverendo Sig.

ALla notizia, che all' Editto ultimamente da Noi emanato per la Eſtirpazione delle Beſtemmie non ſia preſtata in molte Terre e Caſtelli della mia Dioceſi la dovuta ubbidienza rapporto il §. finale, in cui ſi ordina che l'Editto medeſimo debba tenerſi affiſſo dagli Oſti, e da altre Perſone ivi nominate nelle loro Oſterie, ed altri riſpettivi luoghi pubblici, noi, ſebben poteſſimo eſigerne da' Traſgreſſori la pena comminata, uſando pure di noſtra indulgenza, inculchiamo a VS. di fare intendere ai ſuddetti Soggetti con Notificazione, o in altra maniera che crederà Ella convenire, che, chiunque dopo il corrente meſe di Aprile ſarà trovato contumace in queſta parte, incorrerà la pena di sc. 10. come ſi enuncia in detto §. finale, rimanendo a ciaſcuno il carico di provvederſi di un tal Editto nella noſtra Stamparìa Arciveſcovile.

E perchè in queſto incontro ſi è ſaputo, che il noſtro Editto dopo la pubblicazione in Chieſa non ſia ſtato affiſſo nella Porta, o in altro luogo pubblico, ſiccome era noſtra intenzione, ſarà Ella contenta di venire anche a queſt'atto, e avvertendola di far correre ſubito la preſente da un luogo all'altro ſecondo la ſcala appoſta nella ſopraſcritta, ſiamo benedicendola

Di VS.

Fermo 12. Aprile 1784.

Affmo di Cuore
A. ARCIVESCOVO DI FERMO

LET-

LETTERA CIRCOLARE

SULL' ELEMOSINE DA INCULCARSI, E RACCOGLIERSI PER I S. LUOGHI DI TERRA SANTA.

Molto Reverendo Sig.

